
AUSPICIIS RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI, SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DN...

Michael Heinrich Gribner, Johann Christoph Klette, Valenti Gonzaga





DE
JURIBUS VICARIORUM IMPERII,
ILLIS IN PRIMIS,
QUAE PERPERAM A NONNULLIS IN DUBIUM VOCANTUR.

§. I.



Riſtis non pridem & inexpectatus Germaniam noſtram, quin univerſam, qua meliorum partium eſt, Europam terruit nuntius, ereptum eſſe rebus humanis Auguſtiſſimum, cui omnes diuturnum imperium precabamur, *Joſephum*, & eo tempore faſces divinitus ſibi creditos depoſuiſſe, quo providentia ejus ope ac conſilio vel maxime & indigeret Germania, & niteretur. Ita vero opinione omnium & expectatione celerius ad *Sereniſſimos Interreges, Saxoniæ Ducem, & Comitem Palatinum Rheni* ſumma imperii poteſtas pervenit, ad quos ut cum *veteri* Germanorum *poëta* loquar: Interregnum Germaniæ.

More ſuo ſemper viduata recurrit
Orba ſuo quoties vacat inclyta Principe ſedes.

 Qui-

Occasionem præstitit disserendi de Juribus Vicariorum Imperii.

Quibus dum omnes felix difficillimi interregni regimen ex animo apprecantur, non abs re fore existimavi specimen, quod circa ipsa hujus imperii auspicia edendum erat academicum, ex eo capite publicæ jurisprudentiæ repetere, quod in juribus eorum recensendis occupatur. Dedit pietas stimulum parandi *vindicias jurium*, *quæ Imperatoribus Vicariis temere denegantur*, & adversus eos stringendi calamum, qui, quod leges Imperii *D. Matthiæ*, *Ferdinandi*, *Leopoldi* ac *Josephi Capitulationes* severe prohibent (a), perperam vocant in dubium amplissimam illorum potestatem. Neque aut virium mearum tenuitas, aut argumenti hujus gravitas impediit, quo minus integrum mihi fore existimarem contra eos, qui jura *Serenissimorum* nostrorum *Pro Regum* privato ausu lacessere sustinuerunt, privato eadem, sed devotissimo stilo asserere & vindicare.

§. II.

Quæ temere a nonnullis in dubium vocantur.

Nulla pars est doctrinae, quæ circa Vicarios Imperii versatur, quam intactam ac inviolatam reliquerint, qui in publicis causis quidlibet audendi arbitrium privata temeritate sibi sumserunt. Alii de originibus eorum perperam sentiunt, alii ad locorum sat angusta intervalla, quæ ad omnes imperii Romani partes pertinet, potestatem restringunt, alii jura, quæ imperatoribus sine controversia competunt, absque justa causa his, qui vicibus eorum funguntur, denegant, & vim imperii, quæ penes nostros est, imminuere frustra conantur. Sed *origines* & *fines Saxonici* in primis *Vicariatus*, quod institutum nostrum in præsenti non permittit, *alio* forte *tempore vindicabimus* : nunc illa tantum jura Majestatica, quæ a quibusdam publicæ prudentiæ Doctoribus in controversiam vocata

(a) Vid. *Cap. Joseph. art. 35. verb. auch nicht nachgeben, daß die Vicariaten und deren Jura samt, was denenselben anhängig, von jemand disputiret, oder bestritten werden.*

cata sunt, sine causa nostris Interregibus denegari evincemus. Varii hic interpretum occurrunt lapsus, ut solent fœcundi esse errores & plura, quæ a recta via diverticula deducant. Quibus ut singulis pro instituti ratione satisfiat, in ordines certos, ac classes veluti dissentientes disponemus; si paucis antea, quæ nostra sit de potestate Vicariorum imperii sententia, exposuerimus.

§. III.

Potestas Vicariorum non æstimanda est ex LL. Romanis.

Ita vero censemus: non ex jure aut Romano, aut Canonico, sed ex gentium jure, eaque, quæ jus publicum universale tradit, naturalis jurisprudentiæ parte, doctrinæ hujus principia repetenda esse. Ineptiunt quotquot, ubi de Vicariis imperii agendum erat, *Illyrici*, *Thraciæ*, *Ponti*, *Macedoniæ*, &, nescio, quos alios *Vicarios* ab inferis revocant, &, quæ de illis Romanorum legislatores caverunt, ad nostra tempora referunt, ac ob solam nominis affinitatem, tractationem de interregnis Germaniæ ab his Imperatorum magistratibus auspicantur: quo in argumento nimiam, & ab instituto alienam sedulitatem adhibuerunt Buxtorffius *ad Aur. Bull. c. 5. th. 52.* cujus vestigia legit Hermes *Fasc. jur. publ. c. 24. n. 6. seqq.* & Bechmannus in primis *Exerc. Exot. V.* qui ab urbe condita ordine perpetuo per omnes imperii Romani epochas, quicquid unquam Vicarii nominis umbram habuit, solicite congessit. Neque rectius in hoc articulo publici juris versati fuerunt, qui, quicquid *de procuratoribus generalibus*, *de mandato speciali*, *de vicariis*, denique *episcopis ac judicibus*, iu privata jurisprudentia ex utroque jure occurrit, in hunc locum transferendum, existimarunt: quod Viris Celeberrimis etiam Schützio, Eybenio, aliisque contigit, quos bonam causam argumentis non ubique bonis tuitos videmus. Neque enim his præsidiis aut opus est, aut tuto niti possumus in argumentis, quæ privatorum lites & con-

troversias excedunt, nec ex Quiritum, aut quocunque privato jure decidi possunt.

IV.

Sed ex jure publico universali. Hoc docet, Proregis in dubio eandem ac ipsius Regis esse potestatem.

Juris publici universalis prudentia, absque qua cujuscunque reipublicæ jura nec intelligi, nec tradi feliciter possunt, regulam suppeditat, quam ipsa ratio sancivit: *Potestatem interregis, nisi lege aut pacto circumscripta sit, eandem esse, quæ ipsius regis fuerat*, vid. Dn. Præsid. *Jur. publ. univ. princip. l. 2. c. 9. §. 4.* Id ipsa nominis vis innuit, & potestas vocis, cum Vicarius dicatur, qui alterius vices sustinet. Sicubi restricta invenitur Vicariorum potestas, id ex speciali quarundam rerumpublicarum lege repetendum est, non ex indole & natura interregni. Itaque *nec*, quod nonnulli volunt, *nudi magistratus instar Prorex est*, *sed Principis temporarii vicem subit*, & æquali cum eo, licet non æque diuturna, fruitur potestate, ut mirer, Excell. Titium *in Vindiciis Vitriar. Castig. annot. 265. p. 216.* in contrariam secessisse sententiam, quæ interreges in numerum magistratuum detrudit: cum, ut quis pro magistratu haberi debeat, declaratione voluntatis opus sit, qualis non est lex vel conventio, quæ absque conditione vicarium imperium alicui defert. Ut non opus sit, peculiaribus pactis eandem vicario concedere potestatem, quam is habuit, in cujus locum succedit, quemadmodum *d. l. Vir Celeb.* existimat; sed potius pactum, aut conventio requiratur, si sub limitatione aliqua, aut inæquali conditione Vicario regnum deferatur. quod *Id. Vir Celeber. annot. 274. p. 223.* agnoscere, & non obscure in aliam sententiam concedere videtur, dum, a Vitriario probari debere, Vicarios imperii ratione muneris sui ab imperio dependere, contendit. Sed &, quod diximus, gentium juris, & rationis naturalis esse, ut vicarius, sine conditione constitutus, æquali cum eo, cujus vices occupat, potestate gaudeat, civilium etiam legum

Diss. D. Titius.

DD.

D D. confirmant; quorum cumulos excitare facili negotio liceret, si nostræ sententiæ præsidia ex iis peti posse persuasi essemus. MENOCHIUS sane *Consil. 676. n. 4.* ait: *Qui vices alicujus gerit, simpliciter & absolute potest ea, quae potest ipse principalis* &c. *& hoc* (addit) *existimo probabili dubitatione carere.* Cum quo consentit DECIANUS *Vol. I. Resp. 23. n. 69.* ubi *vicarium generalem*, ait, *posse omnia, quae princeps potest.* Nec aliter CACHERANUS *Decis. 101. n. 3.*, VALLE *Cons. 86.*, GRATIAN. *Discept. t. I. c. 106. n. 16.*, SURDUS *Cons. 181. n. 1.* tradunt: quos evolvant, liceat, qui his credere malunt, quam sibi, quae ipsa rei natura, & muneris conditio, & ratio naturalis quemque per se satis docere possunt.

Consentiunt juris civilis interpretes haud pauci.

§. V.

Hæc si ad Germaniam transferamus, ac, ut par est, ex universalis juris principiis potestatem Serenissimorum Principum metiamur, sponte ex hactenus traditis fluit: *Vicarios imperii omnem illam habere potestatem, qua ipsi Imperatori competit, nisi quatenus ex legibus imperii restrictam eam ac limitatam esse, appareat.* Res evidens est, quam ipsa natura vicarii muneris evincit, & optimi quivis jurisprudentiæ publicæ interpretes agnoscunt, & confirmant. Sed aliquos tantum, cum caput rei in hoc argumento situm sit, in medium adduxisse juvabit. *Perillustris* atque *Excellentissimi* Autoris operis præstantissimi, quod *Fecialis Europæi* titulo insignitur, *P. 1. c. 3. §. 3. p. 164.* doctrina est: *Potestatem Vicariorum complecti omnia jura Majestatica & regalia, quae Imperator exercet, nisi speciatim aliqua excepta, & nominatim iis denegata sint.* Idem tradit *Illustris* COCCEIUS *Jur. publ. prud. c. 16. §. 13.: Vicarios omnia regni negotia ac judicia exercere ut Regem ipsum, nisi in specie quaedam reservata sint.* Huic jungimus L. B. *ab* ANDLERN, S. C. M. quondam Cons. Imperial. Aul. Actual. qui *Corp. Const. Imp. Tom. II.* verb. *Pfaltz p. 1585.* ait: *Hac & alia Imperatoris jura,*

Ex quo sequitur, Vicariorum imperii eandem esse potestatem, ac ipsius Imperatoris, nisi quatenus illa per LL. imperii restricta sit.

jura, quantumvis in A. B. non expressa, modo non prohibita, Vicariis imperii competere vix dubitare licet, & postea: *quedam duntaxat Imp. Carol. IV. prohibuit, & sibi specialiter reservavit, puta collationem & investituram feudorum regalium, reliqua ergo omnia non prohibita, nec reservata Vicariis imperii permissa & relicta censentur.* Possem his plures alios addere, si testibus in argumento satis perspicuo opus fore putarem. Adeat, qui volet, SCHÜZIUM *Vol. I. Disp. 5. th. 2.*, EYBEN. *de Jur. belli th. 2. p. 697.*, CARPZ. *de Leg. Reg. c. XI. §. 15.*, MAURITIUM *ad Cap. Leopold. art. 36. p. 871.*, RHETIUM *Justi. Jur. publ. L. 1. t. 5. §. 9.* & SPRENGERUM *in Fontibus p. 157.* qui plures socios nominabunt: quamvis ego argumentis eorum, quæ ex natura jurisdictionis ordinariæ, & procuratoris generalis ac potestate magistratuum Romanorum arcessunt, nec uti velim, nec opus esse existimem.

§. VI.

Juris publici Dd. varie hic dissentiunt. Quæ cum ita comparata sint, cumque tam liquido jura vicariorum Germaniæ & ipsa gentium lege & constitutionibus imperii nitantur; mirari subit plerosque juris publici interpretes passim Majestati eorum detrahere, & nunc hoc, nunc illud jus Cæsaris irrito conatu in dubium vocare. Adversus quos dum vindicias paramus, ne multitudo dissentientium nos turbet, *in quatuor ordines eos ac classes dispertire placet*, & *primum* congredi cum *iis, qui ipsi Bullæ Aureæ* vim inferunt, & ne ea quidem jura, quæ illa nominatim commemorat, integra nostris relinquunt. Dein cum *iis* nobis res erit, *qui* ea quidem jura agnoscunt, sed *allatis a Carolo IV. exemplis* ita *inhærent*, ut nihil quicquam vicem Imperatoris gerentibus permissum censeant, nisi quod, primi §. C. 5. Bull. Aur. verbis exprimatur. Hos excipient, *qui reservata Imperatoria a vicariis negant posse exerceri.* Denique conabimur & illis satisfacere, *qui* cum liberalius agere videantur, & rectius quam reliqui

qui in quatuor classes dispescuntur.

Ac I. contra eos vicariorum jura asseruntur, qui eam quoque potestatem vicariis non integram relinquunt, quam A. B.

reliqui de vicariis sentire, *quadam* tamen *jura regia ex variis*, sed inanibus, & non satis justis *caussis excipiunt*, ac sine legum publicarum auctoritate vicariorum potestatem arctioribus limitibus circumscribunt. Ita vero apparebit, longe ampliorem illam esse, quam plerique contendunt, si, quæ iis perperam ex variis argumentis denegantur, jura, justis ac idoneis rationibus asserantur. **disertis verbis illis tribuit.**

§. VII.

Non uno nomine præ cæteris omnibus *Aurea* vocari meretur Catoli IV. Bulla, quæ uti pleraque jura Principum Electorum confirmavit ac stabilivit, ita & decus hoc summum Palatinæ & Saxonicæ domus extra controversiam constituit, ac perpetuum valitura sanctione corroboravit. Unde & Serenissimos Vicarios in diplomatibus suis, in primis ad *Auream Bullam* provocare, videas: quod & *literæ regiæ non ita pridem ad Ordines imperii datæ* ostendunt, in quibus vicariatus Jus ui Bullae Aureæ *vermöge der güldenen Bulle*, ad se pertinere, Rex noster Potentissimus, idemque Interrex Germaniæ declarat (a). *Non* quod *demum per Auream Bullam Saxoniæ Ducibus jus vicariatus* in terris Saxonicis *concessum* fuerit, quem BUXTORFII *ad A. B. Concl. 56.*, CARPZOVII *ad leg. reg. c. 11. s. 12. n. 10.* & RHETII *Inst. Jur. publ. L. 1. t. 5. §. 6.* errorem dudum SCHILTERUS *de Vicar. §. 9.*, D. HORNIUS *c. 21. §. 8.* aliique recte rejecerunt; sed quod ea lege omnis sublata iis, qui ubique juribus aliorum detrahere conantur, occasio fuerit singularem hanc Saxoniæ Ducum eminentiam & prærogativam in dubium vocandi. Hæc ergo lex præstantissima, ubi interregni jura tradit, de potestate vicarii Palatini ita constituit: **Aurea bulla, quæ jura vicariorum confirmat.**

(a) Vid. *Das Vicariat-Patent sub dato d. 22. April. 1711. §. Allermassen uns nun als Chur-Fürsten und* Herzogen *zu Sachsen* vermöge der güldenen Bulle, *uhralten Herkommens, und Käyserl. Beleibung, &c.*

tuit: *Quoties sacrum vacare imperium, contigerit, illustris Comes Palatinus Rheni esse debet Provisor imperii cum potestate judicia exercendi, ad beneficia ecclesiastica præsentandi, recolligendi reditus & proventus, investiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine S. imperii recipiendi.* Et ne quis existimare possit, Saxoni idem in terris sui juris haud licere. *Eodem jure provisionis illustrem Ducem Saxoniæ sub omnibus modis & conditionibus*, sicut superius expressum, *frui debere*, addit, in illis locis, ubi jura Saxonica servantur. Hæ sunt, quæ nominatim expressæ leguntur, species & exempla jurium vicariis competentium, quorum vim non alienum ab instituto nostro est paucis expendere, ut, quantum etiam ex his, & quam temere detrahere nonnulli conati fuerint, possit constare.

§. IIX.

Dat eis (1) potestatem exercendi judicia.

Vi juris hujus jus dicunt Vicarii imperii in Camera.

Primum Carolus IV. profitetur, *Vicariis imperii competere potestatem exercendi judicia in S. imperio Romano.* Hac in reipubl. salutem utuntur Proreges Germaniæ, partim dum communi consilio, & æquali auctoritate conjunctim *per Cameram imperii* jus dicunt, partim dum in sua quisque terra judicium, quod vice Aulici judicii Cæsarei sit, vicariatus, aperiunt, & ibi causas, quæ eorum potestati subsunt, definiunt. Sed quod ad Cameram imperialem attinet, *non defuerunt olim, qui de hac Vicariorum potestate dubitarent*, ex idonea, si Diis placet, ratione, Caroli IV. tempore Cameram nondum constitutam fuisse, adeoque nec Auream Bullam ad eam pertinere.

Quod frustra nonnulli negant, & Moguntino eam

Alius Moguntini nomine Cameram interregni tempore jus dicere, asserit, quam sententiam KLOCKIO (a) CRUSIUS ad

(a) Provocat ad KLOCK. *Vol. 1. Conf. 3. n. 40.* Sed, licet eo loco plus Moguntino, quam par erat, tribuat, non prorsus tamen eum Vicarios a directorio Cameræ excludere, ex *n. 2. & 41. d. Consil.* apparet.

ad A. B. p. 359. & LIMNAEUS *ad eand. p. 268.* attribuunt; *nonnulli* in præjudicium Saxoniæ Electorum *ad solam Palatinam potestatem*, quæ ad utrumqueVicarium æque pertinet, *transferre* conati sunt. Quos omnes, cum rerum gestarum memoriæ, & usus imperii satis erroris convincat, non est, cur multum iis refellendis immoremur. Etenim gnaris rerum patriæ nostræ ignotum esse nequit, a primis post institutam Cameram imperialem temporibus in singulis, quæ evenerunt, interregnis vicarios in jure per Cameram dicundo potestate sua usos fuisse, *Cameram que interregni tempore, & nomine utriusque vicarii sententias pronunciare, & sigillis*, non aquilæ imperialis, sed *vicariorum sententias munire*; MULZ. *P. 2. t. 25. §. 6. n. 172. p. 776. & p. 774. n. 154. & p. 794. n. 99.* Ita post obitum D. Rudolphi II., ita post fata D. Matthiæ, observatum fuit, BUXTORFF. *ad A. B. c. 5. th. 60. lit. C.* & LIMN. *Dis. 5. c. 12. n. 12.* & *Illustr. Autor des Europæischen Herolds p. 164.*, ARUMÆUS *Vol. 3. Disc. I. p. 20.* Quid proximo interregno, cum post discessum Ferdinanndi III. lis de vicariatu inter Bavarum & Palatinum agitaretur, fuerit actum, neminem latere potest. Uterque & *Bavarus & Palatinus Saxonem socium in directorio Cameræ agnovit.* *Bavari* certe *literæ* ad judicem, præsides & assessores Cameræ datæ *die 13. April. 1657.* extant, quibus jus Saxonis agnoscit, & profitetur (b). Agnovit & ipsa *Camera*, cujus Assessores Bavaro responderunt *sub dato*

potestatem tribuunt, aut Saxon. Vicar. excludunt.

Camera nomine utriusque Vicarii sententias pronunciat. utriusque sigillo utitur.

Saxonis Jus agnoscit Bavarus,

Camera,

(b) Subjicimus ex iis verba, quæ huc pertinent: *Wir haben das* gesammte *Cammer-Gerichte*, so vacante imperio unter des Vicariats Befehlich, Schuz und Schirm begriffen, neben Chur Sachsen Lbd., *mit der wir uns der weitern Anstallt wegen zuvergleichen in Werck begriffen*, in Unsere Protection auf- und annehmen wollen, *der gäntzlichen Zuversicht, es werden &c. die Process, Geboths-Briefe und alle Handlungen, wie die Namen haben mögen, unter die Vicariats Titul und Insiegel ausgefertiget werden.*

dato 10. April. 1657. sc. si ab utroque vicario *gesamter Hand*, sigillum transmitteatur, jussa facturos fore, vid. UFFENBACH. *Judic. Aul. c. 24. p. 282. seqq.* Nec alia Palatini fuit sententia, qui eodem tempore cum Saxone egit, & ab illo, literis *d. 19. April. 1657.* datis, ut communi secum sigillo uteretur, postulavit (c). Sed & gravissimus rerum Brandenburgicarum scriptor PUFENDORF. *L. 7. §. 24. p. 410.* autor est, a vicario Saxonico *Ægidium Strauchium* (d) Spiram missum fuisse, ut Cameræ denunciaret, jus Bavari, Saxonisque nomine diceret, eundemque sigillum quoque, Bavarica & Saxonica insignia exprimens, tradidisse. Ex quibus satis apparet, frustra eos esse, qui facultatem per Cameram imperialem jus dicendi aut utrique vicario, aut Saxoni saltem detrahunt. Quid enim interest, quo tempore Camera imperialis instituta sit, cum

Palatinus,

judi-

(c) HERMES *Fasc. Jur. publ. c. 24. qu. 7. n. 14. Literas D. Io. Georgii II.*, quibus sibi integrum esse negat Palatinum pro vicario agnoscere, exhibet LONDORP. *Tom. 8. c. 32.* Hic tamen nihilo minus postea *M. Maj.* edixit, ne quis aliter mandatis, inhibitionibus, &c., Cameræ obsequium præstaret, nisi suo, & *Electoris Saxoniæ* nomine emitterentur: *Welche nicht nebenst des Herrn* Churfürsten zu Sachsen Lbd. Namen und Siegel *zugleich in Unsre Namen verfasset, &c. und mit unsern* Mit-Vicarii *Siegel, &c.* LONDORP. *l. c. c. 42. p. 47.* ac postea cum citationes & mandata nomine Bavari conscripta nunciis Cameræ per suos ademisset, publice protestatus est coram notario & testibus, *Saxonis jurisdictioni in Cameram imperialem id præjudicio esse non debere, mit ausdrücklichen Vorbehalt, auch* ohne Nachtheil *und* præjudiz *Chur Sachsens Lbd.* competir*ender* Vicariat*s-Gerechtsame*, Id. *l. c. c. 182. p. 255.*

(d) *Augustinum* Strauchium forte voluit dicere PUFENDORFIUS Ordinis juridici in hac Academia præsidem, eundemque Electoris Saxoniae Consiliarium intimum. Neque enim Ægidii Strauchii opera eo tempore usum fuisse Serenissimum Vicarium Saxonem, constat.

judicium certe illa sit imperii; judicia autem omnia exercendi facultas ex Aurea Bulla ad Vicarios spectet? Moguntinus vero Elector nullum sibi unquam jus in præjudicium vicariorum vindicavit; cum quo conferre solitos Vicarios ex *literis* ante citatis *Bavari Electoris ad Cameram* forte colligas (e), excludere hos a jure, quod vi *Aurea Bulla* habent, nunquam ille præsumsit. Denique, quod BRAUTLACHTI errorem attinet, quem ARUMÆUS *Vol. 3. Disc. 1. th. 52.* Saxonis jus in dubium vocasse, tradit, quam leve & inane, ac nullius momenti est, *locum, ubi Camera jus dicit, in terris Rheni situm* esse, ideoque Saxonem excludi ab ejus directorio debere? Nam ut taceam, fixam *non adeo*, & *certam Cameræ sedem* esse, *ut in terras juris Saxonici transferri nequeat*, sane non iis tantum, qui Palatino Vicariatui subsunt, sed *omnibus* perinde *jus reddit, qui in terris juris Saxonici* hujus judicii vim agnoscunt, & venerantur. Unde, qui his solus jus dicit, Elect. Sax. a directorio Cameræ excludi non potest. Quod vero *nullo terrarum discrimine* in singulis causis *utriusque Vicarii & nomen & sigillum adhibeatur*, id libero arbitrio Vicariorum originem deberi, puto (f), qui in hoc summo imperii

nec non Moguntinus.

N. O. quod locus, ubi Camera Jus reddit, ad terras Rheni pertineat.

Camera sine causarum & terrarum discrimine utriusque Vicarii nomine Jus dicit.

(e) Verb. *Und* an Chur-Maynz *Lbd. die Nothdurfft gelangen lassen.* Cui responderunt Camerales: *Und alsdann an des* Herrn Churfürsten zu Maynz Lbd. *die fernere Nothdurfft gelangen lassen wollen.*

(f) *Olim* tamen *forte* aliter obtinuit, & in circulo Rhenano ac Suevico, nomine Palatini, *in terris juris Saxonici, Ducis nomine Camera jus dixit*, vid. KLOCKIUM *c. l. n. 41. quæ res potuit* iis, qui sententias Palatini nomine latas viderunt, *persuadere, Palatini solius nomine olim Cameram omnes causas expediisse.* Hoc ex THULEMARIO *de Octoviratu c. 22. §. 21. p. 787. &* LIMNÆO *ad A. B. 5. §. 1. Obs. 9. n. 3.* constat, quondam *duplici sigillo Cameram usam esse*, postea inter Serenissimos Vicarios convenisse, ut uno, quod utriusque insignia contineret, uteretur.

perii judicio maluerunt omnibus caussis autoritatem præstare, quam in iis, quæ vicariatui cujusque subsunt, suo quisque nomine jus dicere. Sed actum agerem, si diutius his immorarer. Id saltim addo, quod a nonnullis traditur (g), *anno 1519. solum Palatinum Vicarium Cameræ imperii præfuisse*, nec ex GOLDASTO (h), ad quem provocant, apparere, nec si, de quo merito dubitamus (i), verum id, expeditumque esset;

(g) HERMES *l. c. p. 327.* & BUXTORFF. *th. 60. lit. A.* scribunt, Palatinum *an. 1519.* solum in Camera jus reddidisse *sciente Saxone:* Sed non probant, quod asserunt. AUTOR der wohlgegründeten Anzeigung wegen des Ihr. Churf. Durchl. zu Bayern zustehenden Reichs-Vicariats, apud LONDORPIUM *Tom. 8. p. 157.* ait: Pfaltz-Graff Ludwig *habe zu selbiger Zeit* prætendiret, *daß die Ausfertigung derer Cammer-Gerichts*-Processe *unter seinen Namen und Insigel alleine*, mit Ausschlussung Chur Sachsens, *geschehe.* Cum quo consentit AUTOR der wohlgegründeten Abfertigung apud *Eund. c. 189. p. 272.* Add. *Id. c. 65. §. 7 p. 123.*

(h) BUXTORFFIUS *l. c.* ait: Palatinum solum judicium Cameræ exercuisse, idque *Carolum V. omnibus Electoribus consentientibus confirmasse.* Sed GOLDASTUS, cujus auctoritate hæc tradit, parum ipsius sententiam adjuvat. Is enim in Reichs-Satzungen *P. I. p. 242. Caroli* V. literas tantum exhibet, quæ gesta a *Ludovico* tempore interegni confirmant. Illæ vero tantum pertinent ad judicium vicariatus (*das Vicariaten Hof-Gerichte*), non ad sententias a Camera latas, ut non improbabile sit, *similes literas a Carolo V. Fridericum Sapientem* Vicarium Saxonem *obtinuisse*, & ne conjectura quidem ulla ex iis pro sententia *Buxtorffii* capi possit.

(i) Dubitat & THULEMAR. *c. 22. §. 23. p. 387.*, & KLOCKIUS *d. Cons. 3. n. 2.* in ea videtur fuisse sententia, Cameram *An. 1519.* utriusque vicarii nomine jus dixisse. SCHWEDER. vero *Diss. de Prærogat. Seren. Comit. Palat. Rhen. §. 18. p. 41.* Maximiliano I. mortuo utrumque vicarium in Camera jurisdictionem exercuisse fatetur, nisi forte de Maximiliano II. intelligi voluit, quod suadet BUXTORF-

esset, Saxoniæ Electoribus præjudicare potuisse, quod ipsi Palatini scriptores lubentes profitentur (k). Cæterum, quod Klockius *d. l.* tradit, *Cameræ judicium morte Imperatoris non finiri, sed* etiam, antequam Vicariorum sigilla accipiat, *sine interruptione jus reddere*, id, si ita quidem obtinet, utilitatis publicæ causa magis receptum videtur, quam ut interregni tempore sententiæ alio, quam vicariorum nomine ferri posse videantur. Sicuti & in eo *falli* putarim Klockium, *quod Cameram* solo vacantis imperii casu, *absente Imperatore non æque* (l), *Vicariorum potestati* existimet *subesse*.

Utrum olim solus Palatinus Cameræ præfuerit? Utrum Cameræ Jurisdictio morte Imperat. suspendatur? An Vicarii absente Imper. ei præsint?

§. IX.

Sicuti autem in Camera imperii citra causarum & locorum discrimen utriusque Pro regis Ser. nomine jus redditur: ita & *quilibet in terris juris sui judicium vicariatus constituit*, quod, quia in locum judicii aulici succedit, aulicum, *das Vicariats-Hof-Gerichte* appellari solet (a). Nam Camera quidem imperii etiam mortuo Imperatore lites non minus, quam

Vicarii non tantum in Camera jus dicunt, sed & in judiciis Vicariatus.

nus ab eo allegatus. Compositam litem alii *an. 1612.*, alii *an. 1619.* dicunt; sed transactionis tabulas nemo exhibuit. Hinc conjicio, *anno 1612.* de eo tantum inter utrumque Vicarium convenisse, ut Camera non duplici, sed uno sigillo uteretur: Saxonem vero in Camera jam *anno 1519.* sed quoad terras tantum Saxonicas, jus reddidisse. Vid. *supr. lit. f.*

(k) Thulemar., Buxtorff, Schweder. *ll. cc.* Nam *vel volente Saxone* id contigit, & præjudicio actus esse non potuit, quem conivente altero Vicario Palatinus exercuit; *vel invito eo*, & unus ille casus jus intervertere Saxonis non valuit, qui postea in singulis interregnis sua potestate usus est. Sed, ut dixi, nondum fidem habeo illi Dd. traditioni.

(l) *d. Cons. 3. n. 22.* Add. D. Kregel. *de Vicar. Sax. in casu absent. Imperat. §. 31.*

(a) in literis Caroli V. apud Goldast. *Reichs Sazung P. I. p. 242.* add. Beham *Instit. Jurisprud. publ. c. 2. memb. 8. a. 3. p. 334.*

quam eo superstite dirimit, BUXTORFF. *ad A. B. th. 61.* Vid. tamen §. *præc. sub fin.*; judicium vero aulicum statim cum Imperatore expirat ac quiescit, claudi & obsignari solet, de quo imperii Cancellarius Vicarius ad locum tenentes Imperatoris refert, qui *in sua quivis aula* (b) judicium erigunt (c), in quo provinciis, quæ ad provisionem eorum pertinent, jus dicunt (d). Dixi in sua aula, neque enim in Cæsaris aula judicant. Quod nescio an SCHÜZIO in mentem venerit *P. 1. Ex. 5. th. 14. lit. B. p. 335.* Add. SCHARSCHMID. *ad eund. p. 336.* quamvis facile credam, *ipsis jubentibus etiam per Consiliarios aulicos judicium vicariatus exerceri*, & causas ibi pendentes

Quod in sua quisque Aula instituit.

(b) Fridericum Sapientem, Almae hujus Conditorem, hic *Vitembergae* judicium vicariatus instituisse, inde colligo, quod *electo jam, sed adhuc absente Carolo V.* Magnum Lauenburgicum Ducem, & Episcopum Ratzburgicum *Vitembergam citavit*, teste MÜLLERO, Reichs-Tags-Staat *L. 5. c. 3. §. 7.*

Judic. Vicar. Vitemberg.

(c) Sed *an & eo casu, quo Imperator* peregre *abest?* Dubitant DD. Ego dubitationis causam nullam esse, puto, in primis cum Fridericum Sapientem *anno 1507.* absente Imperatore judicium vicariatus exercuisse, ex literis ejus pateat, quae apud *eund.* MÜLLER. *l. c. §. 6.* extant.

An abs. Imp. Vicar. constituant Judicium?

(d) Deque eo per literas publicas (*Vicariats-Patent*) Ordines imperii certiores faciunt: ita Fridericus Sapiens in diplomate, quod modo citavimus: *Daß wollen wir hiermit allen Ständen im Reiche verkündet haben uns als den* rechten wahren Erb-Vicarien *des H. Römischen Reichs* in ihren anliegenden Sachen zubesuchen, *des denn also ein jeder gutwillige und gnädige Verhöre und Unterricht empfahen solle.* Et D. Jo. Georg. I. in iis, quibus *anno 1612.* interregnum declaravit: *Da jemand* Sachen, *Gebrechen oder Mängel gegen dem andern hätte*, die an uns gelangen, und zur Verhör und Handlung kommen lassen, *darauf wir freundl. und gnädig Einsehen thun wollen*, &c. Conf. *novissimas Regias & Bavaricas Palatini literas apud* LONDORP. *Tom. 8. p. 31. & 32.*

dentes Vicariorum nomine atque autoritate dirimi posse (e). Ipsa porro ratio constituendi judicii Vicariatus a cujusvis Interregis pendet arbitrio. Unde aliquando per sanctius consilium causæ Vicariatus expeditæ leguntur (f), aliquando placuit peculiare judicium ordinare, quod his causis solis vacaret (g). Hoc quia Judicii Cæsarei aulici instar est, cum Camera imperiali concurrentem habet jurisdictionem, causas vero judicio aulico reservatas sibi soli vindicat, nec ad Cameram interregni tempore eas patitur devolvi. Dirigit processus, decreta edit, sententias pronunciat, mandata, edicta, rescripta decernit, & omnia, quæ a judicio Cæsaris peragi solent, in terris Vicario subjectis expedit, UFFENBACH. *de Judicio aulico c. 25. p. 281.* Add. MULZ. *P. 2. c. 26. memb. 2. §. 3. n. 53. pag. 805.* nec a sententiis Vicariorum appellari, aut contra eas aliud remedium interponi potest, nisi quod & adversus eas, quæ a judicio aulico latæ sunt, locum habet beneficium supplicationis. vid. HERMES *c. 24. qu. 8. n. 15.* Hujus judicii eadem ac Aulici Cæsar. potestas est.

C §. X.

(e) Sic, *nescio an vanis rumoribus*, traditum non ita pridem fuit, consilium aulicum a Seren. Vicariis petiisse, ut ipsis nomine eorum jus reddere in aula defuncti Imperatoris liceret: immo quidam, in proximo interregno aulicos Consiliarios hanc potestatem a Vicarios impetrasse, asseruit. Sed, qua fide, aut autoritate hæc tradantur, mihi equidem non constat.

(f) Memini enim, me legisse *citationes* Bavari El., quibus partes jubebantur coram consilio sanctiore Vicarii comparere, *bey unserer Geheimden- und Reichs-Vicariat-Canzley.*

(g) Ita cum *anno 1670.* inter Bavarum & Palatinum contentionem de Vicariatu componere non pauci tentarent, actum fuit *de judicio Vicariatus* communi constituendo, cui præsidem Bavarus, Cancellarium Palatinus, assessores & secretarios uterque daret. Schema exhibet SCHILTER. in *Append. Jur. publ. p. 35.* qui & *p. 29.* monet, tractatibus illis occasionem præstitisse Serenissimum *Wilhelmum Egonem* Landgrav. de *Fürstenberg*, postea Eminentissimum Cardinalem & Episcopum Argentinensem.

§. X.

Summa itaque est hujus judicii autoritas & potestas, sed cui non parum decedet, si demas ea, quæ absque Ordinum imperii suffragiis quidam publici juris interpretes ei detrahere conati sunt. Nos istos censores parum curamus, quorum novimus minus solidas esse rationes. Sed videamus, quæ circa judicandi facultatem provisoribus Germaniæ denegent.

Eaque pertinet etiam ad causas in judicio aulico pendentes, quas, licet diss. Lyncker., avocare possunt. Exempl. Bavar. Vicar.

Primum ergo sunt, qui *excipiant lites in judicio aulico pendentes*, & negent, avocari posse causas, quæ ibi agitatæ obsignatæque sint. Illustr. LYNCKERI ea sententia est, omnes illas causas quiescere, & *judicia Vicariorum ad eas tantum lites pertinere, quæ tempore interregni exoriantur*, vid. *Anal. ad Sved. P. I. c. 3. §. 7. p. 63.* Ecquis vero credat, Carolum IV., dum amplissimam Vicariorum potestatem commemorat, judicia eorum ad lites demum post mortem Cæsaris orituras restringere voluisse? quis causas reliquas suspendi, &, in primis, si interregni tempus diuturnum, & in ipsa mora periculum sit, quiescere debere? Judicium aulicum decedente Imperatore quiescit, causæ ibi agitatæ ut quiescant, necessarium non est. Alia omnia docet MULZ. *P. 2. c. 26. n. 100. p. 794.* qui Vicarios acta avocare posse, auctor est. Sed & exempla extant, ubi Vicarii hac sua usi sunt potestate. Bavarus enim proximo interregno acta in causa *Oettingen* contra *Oettingen Wallerstein* transmitti curavit, teste GASTELIO *Spec. c. 10. n. 21.*, THULEMARIO *cap. 22. n. 20.* Neque restringendum putem hoc arbitrium ad casum, quo utraque pars acta resignari cupit, sed vel ex officio, vel unius ad partis instantiam ea avocari posse existimaverim. Non enim ut Vicariis denegentur, acta obsignantur, sed ne judicii Cæsarei Assessores interregni tempore in præjudicium Vicariorum aliquam jurisdictionis partem sibi vindicare videantur.

§. XI.

§. XI.

Idem Vir illustris *ad Sweder. l. c. p. 64. causas feudales & criminales frustra cognitioni Vicariorum subducit.* Urget, eas Cæsari reservatas esse, adeoque ad Vicarios non pertinere. Ita vero supponit id, quod probare debebat, reservatas Cæsari causas Vicariis non æque reservatas esse. Aurea Bulla, quod ad judicia exercendi facultatem attinet, eandem & Imperatoris & Vicariorum potestatem esse, ostendit. Itaque, qui hujus jurisdictionem venerantur, illorum etiam judicio se submittere tenentur, dummodo eadem ratione in decidendis causis versentur, ad quam ipse Imperator adstrictus est, ut, quæ in judicio aulico expediuntur, per Curiam vicariatus, quæ Imperator cum Ordinibus aut Electoribus peragit, aut solus denique determinat, eodem ipsi quoque modo definiant. Malint igitur & hic sequi SWEDERUM *l. c.*, BUXTORFFIUM *ad A. B. th. 62. lit. b. & c.*, CARPZ. *ad Leg. Reg. c. 11. S. 15. §. 8. p. 321.*, *Illustr.* ANDLER *Cons. aul. Tom. II. p. 1585.* qui & criminales & feudales causas arbitrio & judicio Vicariorum subjiciunt. Ex quibus ne illis quidem consentio, qui cum BUXTORFFIO *loc. c. lit. d.*, SCHULZ. *Syn. feud. c. 12. n. 24.*, *Ill.* LYNCKERO *ad* STRUV. *S. J. F. c. 16. aph. 5. n. 3. & ad Swederum P. 2. S. 1. c. 9. §. 17. pag. 37.*, ARUMÆO *ad A. B. p. 163.*, RIEMERO *apud eund. Vol. II. Diss. 28. §. 38. p. 837.*, BECKERO *p. 114.* aliisque pluribus *cognitionem de feudis majoribus* excipiunt. Investituram eorum Vicariis negari, ex Aurea Bulla constat; sed ea cognitionem de feudis non æque denegat; nec apparet, cur lex, quæ illam prohibet, ad hanc perinde extendi debeat. Scio, a veriore sententia BUXTORFFIUM amovisse Recessum imperii (Ordinat. Regimenti intelligo) *de an. 1521. §. 7. Ob auch Sachen vorfielen.* Sed hæc ordinatio ad Regimentum pertinet, & ne quidem, quid absente Imperatore Vicariis integrum sit, definire potest, nedum, ut eorum jura, quæ vacante solio exer-

Vicariis imperii competit facultas judicia exercendi, etiam in causis feudalibus & criminalibus. Diss. Lyncker.

Immo & cognitio de feudis majoribus.

Nec obstat Ordin. Regiment.

cent, per eam restringi queant. Multo minus Ordinatio Cam. Imp. *de an. 1555. t. 7.* in præjudicium Vicariorum allegari debet, siquidem Cameram in hoc jure nec cum Imperatore, nec cum Vicariis concurrere, certum est. LYNCKERI argumenta infra excutiemus. Neque enim video, cur jura, quæ aut ad reservata Imperatoris pertinent, aut moram patiuntur, aut alicujus momenti & præjudicii sunt, Vicariis omnia denegonda esse, contendat. Meliores partes amplectuntur Viri, publici juris peritissimi, ITTER. *c. 25. §. 19. p. 1050. seq.*, MAURIT. *Dec. 15. pos. 9.*, SWEDER. *l. c.*, THULEMAR. *de Octovir. c. 22. th. 28.*, COCCEJ. *c. 16. n. 13.*, GRUB. *ad A. B. p. 361.*, BERGER. *Disp. de Foro rer. singular. th. 47.*, HORN. *Jur. feud. c. 25. §. 6.*, MENCKEN. *Controv. Jur. publ. Disp. 2. th. 15.*, TITIUS *L. 5. c. 9. §. 17. p. 589.* ipse etiam STAMLER. *de Reservat. §. ult. n. 4.* & SCHÜTZ. *Conf. aul. Cæs. Jur. publ. L. 2. t. 4. pos. 1. p. 427.* quorum judicio *illo quoque casu, quo definitiva ferenda sententia est*, lubens, meritoque subscribo.

aut O. Cam.

§. XII.

Nec non de vectigalibus, quam PFEFFINGERUS eis denegat. Resp. ad Cap. Leop. art. 24. Jos. 23.

In quo, cum nobiscum consentiat PFEFFINGERUS *ad Vitriar. L. 3. t. 7. §. 10.*, non equidem video, quamobrem Idem *L. 1. tit. 11. §. fin. p. 273. Imperatoribus Vicariis cognitionem vectigalium* subtraxerit. *Capitulatio Leopoldina*, quam nobis objicit, art. 24. & *Joseph.* art. 23. parum aut nobis obstat, aut ipsius sententiam adjuvat. Ostendit, lites istas ad Cameram imperii non pertinere, quas etiam avocaturum se, Imperator promittit. Quis inde concludat, Cameræ adempta est in vectigalium causis, quæ Electores respiciunt, cognitio, Ergo eandem Vicarii sibi non vindicare possunt. Ego alia omnia ex hoc articulo colligo. Cum enim etiam judicio aulico Cæsareo judicandi in his causis facultas relicta sit (a), qui inter regibus ea non erit integra, quorum amplior etiam, quam illius potestas est, & quibus

(a) Vid. NITSCH. *ad Cap. Joseph. cit. art. 23.*, & *Autor Medicat. ad eand.* Dissentit LIMNÆUS *ad Cap. Leop. art. 24.*

bus omnia jura salva esse puto, quæ Imperatori ipsi ex legibus Germanicis competunt. Itaque non modo per Cameram & judicium vicariatus jus dicunt, sed & in causis, quarum cognitio ad Imperatorem & Electores, vel Ordines pertinet, Cæsaris vice funguntur. *Commissarii* quoque, *ab Imperatore* ac ejus consilio aulico *dati*, cum morte committentis eorum potestas finiatur, non aliter negotia mandata interregni tempore expedient, nisi Vicariorum auctoritate eadem peragendi facultatem consequantur. De Commission. Imp.

§. XIII.

Juri judicia exercendi A. B. potestatem subjicit ad beneficia ecclesiastica præsentandi. Quorum verborum vim prorsus assecutus est, & exhausisse videtur Illustr. B. *ab* ANDLERN *Tom. II. p. 1585.* voc. *Pfalz*, dum non modo jus precum primariarum hic exprimi, memorat, sed & præsentandi jus, quod Imperatori vel tanquam patrono, vel quocunque alio titulo competit, Vicariis imperii adscribit. Cui sententiæ & ARUM. *Vol. III. Disc. 1. th. 65. p. 25.* accedit, qui jus primariarum precum quidem in primis hic denotari, sed non solum tamen verbis illis contineri ostendit. Et sane vel *ipsa diplomata Imperatorum*, quibus preces ad capitula Germaniæ direxerunt, *Instrumentum Pac. Osnabrug. a. 5. §. 26*, *privilegia Palatina*, & omnis ævi scriptores non dubitare nos sinunt, precum primariarum jus dici *facultatem ad beneficia ecclesiastica præsentandi*; ut ratio omnino non appareat, cur Viri Celeb. SWEDERUS, SCHILTERUS, & ante eos, LIMNÆUS, SPRENGERUS (a), MYLZIUS & BEHAM jus hoc verbis Aureæ Bullæ comprehendi, nega-

(II) Vi A. B. Vicarii habent potestatem præsentandi ad beneficia ecclesiastica. quæ jus precum primariarum, sed non id solum continet.

Jus prec. primar. Vicariis negant Limnæus, aliique.

(a) Qui sibi tamen satis non constant, nam SPRENGER. *in Inst. Juri publ. L. 1, c. 7. p. 40.* negat nostris hoc jus; in *fontib.* vero *pag. 141. idem* iisdem asserit. LIMNÆUS cum multa dubitatione *L. 3. c. 12. n. 66* in medio relinquit quæstionem, quam *ad A. B. c. 5. Observ. 11. §. 1.* magno ausu negat.

negaverint. Argumentis eorum satisfecit *Dn. Præses integra Diss. de Precibus primariis Vicariorum imperii*: ad quam me refero, ne opus sit illa aut repetere, aut prolixe confutare. Id miror, Illustrem COCCEIUM, qui *in Jurispr. publ. c. 16.* Vicariis imperii jura Imperatoris omnia strenue vindicaverat *in Edit. noviss. n. 13.*, jus precum primariarum excepisse, ex eis scilicet rationibus, *quod jure hoc ipse Imperator non nisi semel utatur, nec nisi post inaugurationem*: quorum argumentorum vis, cum eo pertineat, ut, quicquid vi Coronationis imperialis competit, aut quicquid semel tantum exercetur, Vicariorum potestati subducatur, infra, ubi ad eos, qui quædam tantum jura Cæsaris Vicariorum potestatem excedere contendunt, pervenerimus, plenius illis satisfacere conabimur. *v. §. 30. sq.* Hoc loco id tantum nobis addendum est, non minus *falli* Viros Celeberrimos, *qui* preces primarias Vicariorum agnoscunt quidem, sed vel *eis tunc demum locum relinquunt, si Imperator ad ecclesiam*, cui *preces* offeruntur, *nullas antea dederit*, vel *ecclesias diversis Sacris addictas excipiunt*, vel *possessionem anni 1624. in Vicariis requirunt.* Cum ex genuinis juris publici principiis facile constet: preces Vicariorum non nomine Imperatoris, sed jure proprio, adeoque etiamsi antea Imperator easdem ad idem collegium porrexerit, recte exhiberi, & *citra diversitatem religionum, quæ* in imperio, quod ad civilem æstimationem attinet, *pro orthodoxis habentur*, uti ab ipso Imperatore, ita & a Vicariis jus hoc exerceri, ac Cæsaris denique possessionem iis, qui Vicarii quasi Imperatores sunt, in primis cum illo anno 24. nullum interregnum fuerit, prodesse. Add. *cit. Diss. Dn. Præsidis*, qui plenius dissentientibus satisfecit. Ceterum jus hoc locum tenentes Imperatoris sibi vindicasse vel exempla *Jo. Georgii II.* evincunt, qui in capitulis terrarum Saxonicarum quamplurimis sua usus est potestate. Formulas earum COTTRÆJUS *Comment. ad Concordat. Nat. Germ. n. 70.*

& novissime Coccej.

70 seqq. inseruit, quorum summam exhibet *Dn. Præses cit. Diss.* §. 21. Conf. MULDNER. *Diss. inaug.* §. 5 *p.* 43.

§. XIV.

(III.) A. B. Vicarius concedit jus recolligendi reditus Imperatoris. Quos alii Imperatori restitui debere, volunt.

Vix habuerunt, quod circa verba *A. B.*, quæ sequuntur, & *potestatem recolligendi reditus, & proventus Imperii*, complectuntur, Vicariis imperatoribus DD. detraherent, ita tamen in eorum interpretatione versati sunt, ut non possit satis eorum doctrina æquis judicibus se approbare. MULZIUS tradit, eos reditus provisores imperii servare teneri futuro Imperatori, *P. 3. c. 12. n. 64. p. 1051.* Sed quid ad hunc proventus pertinent, qui, antequam imperio ille præficeretur, percepti sunt? Quare si Vicariis non cedunt, imperio eos restituendos potius existimaverim, licet cum *Mulzio* SCHILTERUS etiam consentiat *Diss. de Vicar.* §. 12. *p.* 15. ubi perperam Vicarios nominat *Imperatoris administratores*, qui potestate gaudeant tantum delegata. Alii sedulo & diligenter monent, Vicarios nihil ex proventibus sibi vendicare posse, sed rationibus reddendis eo nomine esse obnoxios. Quod si eo referunt, ut existiment, onera & sumtus, quos Vicarium regimen exigit, ex suo ferre teneri Interreges, nec eo nomine reditus imperii, qui forte obvenerint, publicis utilitatibus impendere posse, vehementer eos falli, arbitror. Ipsa enim æquitas & juris cujuscunque principia non permittunt, ut de acceptis, qui rationem reddat, expensarum nomine nihil detrahat, cum id denique colligi ex proventibus & reditibus possit, quod deductis necessariis sumtibus superest. Quanto rectius SCHILTERUS *in Diss. de Vicar. th.* 12. *p.* 15. non ea detrahi tantum posse, censet, quæ imperii nomine impenduntur, id quod BECHMANNUS *Ex. Exot.* 5. *n.* 180. *p.* 262. etiam CRUSIUS *ad A. B. p.* 359. & BUXTORFF. *Th.* 66. *lit. B.* admittunt, sed &, *si plus impenderint Vicarii, quam ex reditibus obvenerit*, sumtus, qui fructuum quantitatem excedunt, ab imperio eis restituendos es-

Ex his sumtus, quos vicarium imperium exegit, repeti possunt.

se,

se (a). Optima sane ratione cum nulla lege sumtus de suo præstare jubeantur, & omnis administrationis vicariæ impensæ non administratorem onerent, sed eum, cujus nomine, vel cujus in utilitatem administratio suscepta est. Quamvis soleant Serenissimi Vicarii sæpius hic suo jure non uti, & liberaliter imperii nomine erogatas impensas sibi imputare, ac reipublicæ Germanicæ onus in se sponte recipere (b). Cæterum ut hoc quoque addam, non paucos, qui juris hujus meminerunt, in ea persuasione esse observavi, inane id hodie nomen & nullos aut exiguos admodum esse reditus, qui imperii nomine colligi, ac servari queant. Quibus ut concesserim reditus imperii non amplius ad eam facile summam accedere, quam Imperatoris Friderici I. ætate attigisse feruntur (c): & in primis si non diuturnum sit interregnum, tenues satis aliquando esse proventus; ita nec plane inanes has partes esse & contingere posse, ut satis grave sit onus administrationis existimo. Quid enim *si* tempore regiminis vicarii, *imperii feuda* sive secularia, sive ecclesiastica, sive intra Germaniæ limites, sive in Italia etiam, *vacare*, & vel quod successores deficiant, vel quod possessores eorum illis legitime exuti fuerint, ad imperium redire *contingat*, nonne satis ampla illarum terrarum *administratio*

Ad Vicarios pertinet administratio feudorum vacantium.

(a) Addit SCHILTERUS: vel ab Imperatore. Enimvero ad eum nec fructus interregni tempore perceptos, nec impensarum restitutionem pertinere, existimaverim.

(b) Nimirum ex amore erga patriam hoc onus suscipiunt Sereniss. Proreges, cujus ob commoda hoc & cætera, quæ muneri amplissimo adhærent, incommoda magno animo ferunt. Huc pertinent literæ Regiæ: *Als haben wir uns aus angestammter Liebe und patriotischer Anreizung* gegen *das H. Reich teutscher* Nation, *unser geliebtes Vaterland*, demselben und dessen Stænden zum Trost mit solchen *mühseeligen* Amte beladen *wollen*.

(c) Excesisse eos illo tempore summam 6000000. th., post alios refert HERMES *c. 25. q. 11. n. 18. p. 328.*

ſtratio Vicariis incumbet? quibus nec denegari ea interregni tempore *in* illis *feudis* poteſt, *quæ Imperatore vivente aperta*, & quorum reditus ab eo, nomine imperii, dum fata ſinerent, publicis neceſſitatibus ſervati fuerunt. Data opera argumenti hujus filum abrumpo, quod longius ducendi praeſens Germaniæ ſtatus occaſionem præſtare poterat. Id velim lubenter ab aliis doceri, *utrum* in rebus graviſſimi momenti *in integrarum provinciarum*, quæ vacant, *adminiſtratione uterque Vicarius ſine diſcrimine terrarum concurrat*, an in ſuis cuilibet finibus hos quoque proventus colligendi poteſtas competat.

§. XV.

Supereſt ex juribus, quæ *Aurea Bulla* nominatim *exprimit*, *jus inveſtiendi de feudis*, *& juramenta fidelitatis vice & nomine S. imperii recipiendi*, ſed id æque non integrum ſupereſt, ſi interpretes, qui paſſim ei detrahunt, ſequi velimus. Aurea Bulla *feuda Principum tantum excipit*, & *illa*, *quæ* Fahn-Lehn *vulgariter appellantur*, *quorum inveſtitura & collatio Imperatori*, ſunt verba Bullæ Carolinæ, *ſpecialiter reſervatur*. Sed DD. multa alia, quæ Imperator Carolus ſibi reſervata eſſe noluit, excipiunt, & variis rationibus inveſtiendi facultatem limitant, ac circumſcribunt. Non allegabo COEPPEN, qui *Obſ. feud. 3. n. 15. ad ſolum Palatinum inveſtituram feudorum refert*, excluſo Vicario Saxone, cui idem jus Aurea Bulla tribuit. Nam ejus errorem, cui forte *Jus Svevicum L. 2. c. 144.* anſam dedit, & Lex, quam diximus, Carolina, & ipſa cauſæ evidentia ſatis refellit. Si modo aſſecutus ſatis eſt mentem Kœppenii, qui illi hunc errorem tribuit, & cujus fide hæc ſcribimus, ITTER. *de Feud. imp. c. 9. §. 8. p. 446.* Id omittere non poſſum, *haud paucos*, præter Feuda Principum, etiam *Comitum feuda excepiſſe*, & jus de iis inveſtiendi Vicariis male denegaſſe. Hoc in numero ſunt Illuſtr. LYNCKERUS *ad Sweder. P. ſpec. S. I. c. 9. §. 1. p. 33. & in Comm. ad A. B. p. 44.* HERMES *cap. 25. q. 12. n. 19. p. 328.*

(IV.) A. B. Vicariis dat jus inveſtiendi de feudis.

Exceptis ſolis feudis Principum, quæ Fahn-Lehn dicuntur.

COEPPEN inepte jus hoc ſoli Palatino tribuit.

Alii, præter feuda Principum, etiam feuda Comitum Imp. excipiunt.

p.328., Schilter. *L.1.t.18.§.4.*, Boxhorn. *th. 63. lit. d.*, Myler. *ad A.B. Diss. 4. th. 19. p. 104. sq.* Hi Principium nomine etiam Comites appellari, dicunt, vid. Hermes & Myler. *l. c.* Sed laxa, & impropria appellatione eos Principes vocari, constat, quo sensu Auream Bullam hoc loco vocem istam non probababile est accepisse, dum *sola* feuda Principum excipit, & Cæsari reservat: unde argumento illi parum roboris inesse, ipse Lynckerus agnoscit *ad A. B. l. c.* Ast is fortius instat, & cum Schiltero urget, feuda Comitum etiam esse *Fahn-Lehn*, adeoque verba Aureæ Bullæ; *exceptis illis, quæ* Fahn-Lehn *appellantur*, huc quoque referri deberi. Huic rei ut fidem faciant, ad utriusque juris Germanici textus provocant, & *Spec. Sax. L.3. a. 53. n. 3.*, *Svevicum L. 2. c.136.* excitant, ex quibus pateat, Comites Vexillo quondam fuisse investitos. Etenim nec ex citatis textibus id apparet (a), &, si Speculorum istorum in hac quæstione ratio haberi debeat *c. 136.*, opponam *c. 144. L. 2. Jur. Alem.* in quo satis perspicue traditur, etiam vexilliferorum feudorum investituram ad Palatinos pertinere: *und ist daß ein Römischer König stirbt, und wird in Jahres-Frist einander König nicht genommen &c. so sollen alle die Lehen vom Reiche haben ihre Lehn empfangen von dem Pfalz-Graven an dem Rhein ohne die Fürsten, die sollen die Fürsten Amt von ihn nicht empfangen. Alle die Fahn-Lehn haben, daß nicht Fürsten-Amt sind, das sollen sie von Pfalz-Graven empfahen.* Et si dederim, aliquando Comitum feuda

An feuda Comitum dicantur Fahnlehn?

Jus Aleman. sola feuda Principum excipit.

(a) Textus juris Saxonici id non probat, quod ex eo probare Viri Celeb. nituntur. Quis enim ex verbis: *nisi sit Comitatus pertinens ad feudum vexillorum: es sey denn eine sonderliche Grafschaft, die in ein Fahn-Lehn gehöre*, colligat, omnes Comitatus esse *Fahn-Lehn?* Multo minus ex textu juris Suevici id inferre licet; cujus verba hæc sunt: *Und gehöret eine Graffschaft in einen Fahn-Lehn, wer das Fahn-Lehn hat, soll die Graffschaft hinleihen*, &c.

feuda *Fahn-Lehn* appellari; infrequens tamen est ista appellandi ratio, cum propria ac usitatissima significatione Principum, saltim, quos seculares dicimus, feuda ita vocentur: quam significationem retinuit Carolus IV., dum illa excepit feuda, quæ *vulgariter*, id est, recepto & usitato loquendi genere *Fahn-Lehn* appellantur. Ut recte satis textus Germanicus ista conjungere, & voce *Fürsten-Fahn-Lehn* complecti videatur: quem, dum cum *Latino textu*, & jure *Alemanico* confero, non improbabili conjectura assequor, particulam *ET* injuria scribarum §. 1. insertam esse; quam si tollas, & utrique textui conveniet, & ipsa verba Aureæ Bullæ rectius fluent: *feudis Principum duntaxat exceptis, illis quæ* Fahn-Lehn *vulgariter appellantur*. Neque parum meam sententiam firmat, quod diplomata Palatinorum, quæ apud FREHER. *L. 2. c. 16.* exstant, non Comitum imperii, sed Ducum & Marchionum tantum feuda excipiant, quæ ipsa scilicet *Fürsten-Fahn-Lehn* compellantur. Accedit insignis feudorum Principum & Comitum etiam quoad investituram diversitas, cum Comites imperii non ab ipso Imperatore, sed a judicio aulico investituram accipiant, vid. LIMN. *L. 3. c. 12. n. 74.* Neque vero quicquam facile aulicus Cæsaris senatus expedire potest, quod non Vicariis interregno durante integrum sit, quorum etiam ampliorem esse potestatem, supra indicavimus. Add. ZWANZIG *in Theatr. praeced. P. 2. c. 2. p. 14.*

Textus Germ. A. B. Fürsten-FahnLehn. Cujus tentatur cum Latino conciliatio.

§. XVI.

Perinde *feuda ecclesiastica plerique excipiunt*, COCCEI. *c. 16. n. 13.* licet investitura eorum per vexillum fieri non soleat, & vulgariter illa Scepter-*Lehn* appellentur: non sine gravibus tamen rationibus pro contraria sententia BUXTORFFIUS disputat *ad A. B. c. 5. th. 69.* quamvis in utramque partem inflectens sibi certus non constet. Diplomata, quorum ante mentionem fecimus, *solos Archi-Episcopatus* excipiunt, sed hæc Vi-

Nec recte Vicariis investitura feudorum ecclesiasticorum negatur.

cariorum potestatem, quam vacante imperio habent, restringere nequeunt. Ergo sola *Fürsten-Fahn-Lehne*, sive illa Principum feuda, quæ *Fahn-Lehn* appellantur, excipienda, credo, in ecclesiasticis quibuscunque per Auream Bullam jus Vicariorum integrum esse. Saltim CARPZOVIUM falli, liquet, qui *Disp. feud. 4. q. 2. n. 11. Abbatum feuda* etiam sine discrimine verb. Aureæ Bullæ comprehendi censuit, cum non omnes Abbates jure Principum gaudeant, sed eodem fere cum Comitibus imperii numero censeantur, quos investituram a Vicariis petere teneri, §. *præc.* puto, evicimus.

Diss. CARPZOVIUS.

§. XVII.

Alii jus investiendi restringunt ad casum, si interregnum ultra annum producatur.

Non vacat hic ulterius inhærere, aut sub examen revocare *eorum doctrinam, qui feudi investituram non aliter a Vicariis petendam esse, putant, quam si periculum sit, ne annus elabatur, antequam novus Imperator eligatur*, vid. sis ARUM. *Disp. 3. th. 37. p. 161.*, CARP. *ad Leg. reg. p. 322. n. 15.*, LYNCKER. *ad A. B. p. 44.* aut cum iis contendere, qui hanc necessitatem *ad casum restringunt, quo ob Imperatoris mortem investituræ renovatio petenda sit.* Nam licet *jus Alemanicum d. Lib. 2. c. 144.* de eo tantum casu agat; *Aurea Bulla* tamen non ad eum solum pertinet, neque investiendi jus tantum in interregnis, quæ ultra annum durant, sed absque discrimine Vicariis imperii tribuit. Immo tantum abest, ut ad diuturna tantum interregna Constitutio Carolina referri debeat, ut non desint, qui *si ultra annum producatur interregnum, etiam Principes investituram feudorum regalium a Vicariis petere teneri*, contendant. THULEMARIUS ita censet, atque ut huic sententiæ fidem faciat, ad citationes *Bavari* & *Palatini* provocat *c. 22. §. 27. p. 391. sqq.* quibus vasallis imperii necessitatem investituram petendi injunxerunt. Mihi illæ non videntur satis idoneum huic rei præstare argumentum, præcipue cum ea, quæ auctoritate Bavari emissa fuit, nominatim loquatur de illis impe-

Utrum eo casu Vicarii etiam de feudis Principum investiant? Sententia THULEMARII.

imperii vasallis, quibus vi A. B. feudum ab imperio recognoscere incumbat; & Palatina p. 393. æque tantum agit de feudis, quorum investitura ad Vicarios pertinet, *von dergleichen Lehn, so nach Verordnung der güldenen Bulle von dem Reichs-Vicario zuverleihen.* Add. *Illustr.* THOMAS. *ad Monzamb. c. 4. §. 8. lit. m p. 209.* (a). Nec Ordinatio Regimenti *de an. 1521.* quam ARUMÆUS *Vol. 3. Diss. 1. th. 76. p. 27. & in Comment. ad A. B.* pro hac sententia allegavit, eam magis confirmat: siquidem ista Ordinatio de interregnis, quæ post obitum Imperatoris sequuntur, non cavet, & extraordinarii illius regiminis alia ratio fuit, quam Vicariorum imperii, quibus jus investiendi de feudis Principum Aurea Bulla negavit. In medio igitur controversiam eam relinquo. Vicarios hoc casu petentibus Principibus indultum concedere, sunt, qui contendant, quæ nescio an & *Illustri* COCCEIO placuerit, sententia, dum *c. 16. n. 13.* docet: *Vicarios spatium petenti indulgere, si annus Rege absente elabatur.* Add. CARPZ. *ad Leg. reg. c. 11. S. 15. n. 17. sq.* Id quod dubio carere puto, sed non illud æque, an Principes hujusmodi dilationem ab Interregibus petere teneantur.

J. G. ERHARD. MÆLIUV

COCCEII.

§. XVIII.

Nec minus ambiguum est, *an hæc Aureæ Bullæ de feudis Principum dispositio ad eum casum proferri queat, quo absente Rege Vicarii munere suo funguntur.* Asserit LIMNÆUS *L. 3. c. 12. n. 74.* Negat ARUMÆUS *l. c.* & ampliorem Vicariorum potestatem esse, affirmat. Neque dubium est, quin *abitum parans Imperator investituram feudorum* etiam *majorum Vicariis*

Utrum absente Imperatore Vicarii de his feudis investiant?

(a) Cujus conjectura tamen, qua pro verbis *nun mehro Jahr und Tag verflossen,* legendum esse, censet *fast Jahr und Tag,* nescio an subsistat, cum omnino prorogationem indulgere se Elector profiteatur, & LONDORP. *Tom. 8. p. 251. & p. 203.* easdem citationes exhibeat, quæ cum exemplo THULEMARII prorsus hic conveniunt. Add. *Diar. Europ. P. 1. p. 668. & 748.*

cariis permittere, si velit, possit, RHETI. *L. 1. c. 5. §. 9.* Quæ voluntatis declaratio si deficiat, difficile sane erit de potestate Vicariorum judicium ferre. Quod mortuo Rege integrum Vicariis noluit esse Carolus, id illis absente eo etiam non licere, conjicias; sed *fortior* tamen est *pro libertate* Pro Regum *præsumtio*, quibus, quicquid negatum non est, id salvum, permissumque esse intelligitur. *Aurea Bulla* vero de eo tantum jure, quod post obitum Cæsaris Vicariis non competit, dispofuit, ergo prohibitio vix est ut ad alterum interregni casum extendatur. Add. *Ord. Regim. l. c. &* CARPZ. *ad Leg. Reg. c. 11. S. 15. n. 20.* Sed *quid de feudis vacantibus*, quæ imperio interregni tempore aperiuntur, *sentiendum* erit? Num *eorum* quoque *investitura ad Vicarios pertinebit*? an, quia omne genus alienationis eis interdictum est, etiam investitura feudi vacantis eis erit denegata? Ita plerique sentiunt, vid. CRUS. *ad A. B. p. 350.* verb. *Investiendi. &* LIMN. *ad d. c. 5. n. 14.* Sed non omnium feudorum eadem est ratio, nec eadem circa ea Interregum potestas. Itaque si *de feudis majoribus*, de feudis Principum inquam, (*Fürsten Fahn-Lehn.*) sit quæstio, nemo facile jus hoc Vicariis imperii asseret, quibus ne renovatio investituræ quidem, quoad illa feuda, permittitur, A. B. c. 5. §. 1. Sed & cum Comitatus, civitatesque, quæ imperio aperiuntur, ipse Cæsar denuo in feudum dare prohibeatur, *Cap. Leop. a. 30., Joseph. a. 29.* Provisoribus imperii vacantis eandem potestatem negatam esse, credo. Quod si Electorum consensu rem agant, nec Capitulatio Imperatoris, nec Aurea Bulla eis, puto, obstabit, cum &, quæ hæc nominatim prohibet, accedente imperii Ordinum voluntate permitti ipsis possint, &, ut id ratihabeat, novus Imperator adstringi. De *feudis minoribus* aliter sentio; nam & investiendi jus in his Vicariis ex lege publica competit, & licet alienatione interdictum sit, ea tamen prohibitio ad res infeudari

An Vicarii de feudis vacantibus investire possint?

soll-

solitas forte non est trahenda (a). Sed de his alii viderint. Feudi autem vacantis, etiam quod ante interregnum vacare cœpit, administrationem tempore Vicarii imperii ad Inter Reges pertinere, supra memini, me admonuisse §. 14.

§. XIX.

Hactenus *in vindicandis* illis *juribus occupati fuimus*, *quæ* ipsa *Aurea Bulla nominatim Vicariis* imperii *tribuit*, cujus sensus genuinus nobis contra illos, qui evertere eum conatu irrito tentarunt, asserendus fuit. Nunc cum iis congrediendum est, qui omnem Proregum Germaniæ potestatem verbis Aureæ Bullæ concludunt, & ex solis exemplis a Carolo IV. commemoratis metiuntur, sine discrimine Vicariis denegantes quicquid uno illo paragrapho disertis verbis non expressum est. Sed ne cum turba nobis res sit, patronum ei demus, & quem alium, quam LIMNÆUM, qui contra SCHÜZIUM, ac EYBENIUM hanc causam sibi sumsit tuendam, &, qua potuit, maxima contentione contra imperii Vicarios disceptavit. Ejus ergo inepta prorsus in hoc genere philosophia est: *Ad potestatem Vicariorum imperii non pertinere ea, quæ speciale mandatum requirant*, Constitutionem Aureæ Bullæ esse specialem, adeoque ad alia jura non extendendam: stricti juris commissionem eam continere, & stricte accipiendam esse, ut, quicquid extra formulam commissionis a Vicariis suscipiatur, vim nullam habeat, sed invalidum censeatur, *Jur. publ. L. 3. c. 12. n. 80. seqq. & ad Cap. Car. V. art. 3. n. 16. seqq. p. 143.* A qua sententia non multum absunt *Autor Vitriar. Vindiciar.* §. 166. & HERMES *Cap. 25. q. 23. pag. 329.* Cum quibus si quis æqualibus armis congredi, & juris civilis disciplinam ad illustrem hanc controversiam velit afferre, non equidem puto ei defore, quod ad LL. a Limnæo excitatas rege-

II. Vindicantur jura Vicariorum contra eos, qui nihil quicquam eis permissum putant, nisi quod A. B. verbis expressum.

(a) Jure illo quoque Vicarios usos esse, a Limnæo l. c. allata exempla Palatini docent, qui justitiam eorum frustra in dubium vocat.

ri, & pro potestate Vicariorum imperii urgeri possit. Quod ex iis, quæ in utramque partem a BUXTORFFIO *th. 70. & HERM. l. c. ac* SPRENGERO, *&* contra Limnæum a SCHUZIO *&* EYBENIO *de Jur. Pac. §. 2. lit. b. p. 728. seqq. & de Jur. Bell. §. 2. p. 697.* allata sunt, intelligi potest. Enimvero subtilioribus tricis istis aut tempus terere, aut chartam perdere nolo, qui firmissime persuasus sum, absque civilibus terminis, & utriusque, ut κατ' ἐξοχὴν appellatur, juris legibus accuratius æque ac facilius litem illam componi posse; ac multo minori labore, & absque negotio *Eybenium* se expedire potuisse, si a quæstionibus ad propositum non pertinentibus de procuratoribus generalibus & cum libera potestate, de mandato speciali, de interdicta procuratoribus Cæsaris alienatione, &c. se abstinuisset. Mea sententia facile liquet: nec ex sola Aurea Bulla æstimandam Vicariorum potestatem esse, nec eam quicquam Vicariis præter solam investituram *derer Fürsten-Fahn-Lehne*, & alienandi facultatem denegare. Primum enim antiquissima est potestas Pro Regum Germaniæ, quam non demum Aurea Bulla constituit, sed confirmavit tantum, ut nec ex ea sola, quæ dudum illi ante eam conditam habuerunt, jura æstimanda sint. Dein gentium juris regula, quæ, Vicarium ubique vices gerere, id est, ea, quæ is, cujus loco est, sibi vindicat, expedire posse, docet, cur non in nostro quoque imperio locum habeat? aut cur Vicarios Germaniæ magis ad mensuram procuratoris, sive generalis, sive specialis, quam ad modum aliorum Pro Regum æstimabimus? Vicarium sive rex constituat, sive respublica, sive lex determinet, Regis vicibus in omnibus fungi, constat, exceptis iis solis, quæ lex, cujusc. gentis, excipit, aut conventio, aut constituentis regis voluntas. Cur ergo in Germaniæ Inter Regibus non æque amplam veneremur potestatem? quum si vel nihil de eorum potestate in Aurea Bulla cautum foret, eandem tamen eam, ac ipsius Imperatoris esse,

esse, jura gentium postularent. Sed & ipsa Aurea Bulla LIMNÆI limitationes respuit, non ait ea, hæc sola jura, quæ commemorat, hanc solam potestatem Vicariis competere, sed dum gravissima & summa jura, de quibus in primis dubitari poterat, recenset, reliqua non excipit, nisi unam investituram feudorum Principum, &, quam expresse Vicariis interdicit, alienationem & obligationem bonorum imperii. Quid vero opus erat hanc nominatim prohibere? si jura minoris momenti etiam, si cetera jura omnia interdicta jam ante fuerant, aut lege hac prohibebantur? Provisores imperii regula juris gentium satis tuti sunt, limitatam esse eorum potestatem, LIMNÆUS ergo ostendat. Exempla non restringunt jura Vicariorum, quorum potestatem amplissimam omnia complecti Cæsaris jura, quæ nominatim non excepta sunt, *privilegia* etiam *Palatinorum*, *confirmationes Cæsarum*, quibus gestas res eorum ratihabuerunt, *Capitulationes Imperatorum*, ac *usus* denique, *& observantia imperii* satis evincunt.

§. XX.

Non minor eorum error est, qui reservatorum, quæ vocant, imperialium Vicariis exercitium denegant. LYNCKERUS & HERMES hujus sententiæ patroni sunt, sed ille ad *Sweder. p. 37. P. spec. S. 1. a. 9. §. 17.* nullam addit negationis causam, hic non sine ineptiis naturam mandati generalis urget, quo reservata Cæsaris non contineri, contendit. Quod cum de illis, quæ vulgo ita dicuntur, & soli Imperatori in imperio competunt, juribus uterque intelligant, manifeste in Vicarios imperii injurii deprehenduntur. Ordinibus enim Cæsaris reservata negantur, Vicariis ea neutiquam opponuntur, quorum intuitu nullum occurrit reservatum, si unam investituram feudorum regalium tollas. Cumque variis rationibus quædam Imperatori reservata dicantur, eaque modo summis tribunalibus, modo Ordinibus denegentur, alia singulorum

III. Adversus eos, qui, reservata Imperatoris a Vicariis exerceri posse, negant.

territoria, alia universum rerumpublicarum Germanicarum systema respiciant, vid. omnino *Ill.* COCCEI. *c. 24. n. 2. seq.* atque hac appellatione & ea, quæ ipse Cæsar solus, & quæ cum consensu Statuum exercet, jura comprehendantur, nullum ex illis singulis unquam Pro-Regibus deprehendimus esse negatum. Immo usus pariter ac leges imperii reservata Imperatorum Vicariis asserunt. Nam, quæ ipsa Aurea Bulla commemorat, jura precum primariarum, & exercendi judicia, nonne inter præcipua Imperatoris reservata referri debent? Cur ergo reliqua excipiamus, quæ nec lex excipit, nec ratio juris excipi patitur? Cætera, quæ supra dicta sunt, huc repetere nolumus, in primis cum idoneas dissentiendi causas non afferant DD. Sed & plerique rectius sentiunt, & reservata a Vicariis exerceri posse, largiantur, vid. UFFENBACH. *p. 285.*, THULEMAR. *c. 22. §. 19.*, ITTER. *c. 25. §. 19.*, BUXTORFFIUS *ad c. 5. Aur. Bull. concl. 71.* Add. *Dn. Præs. d. Diss. de Precib. primariis Vicarior. Imper. §. 4.*

§. XXI.

IV. Contra eos, qui aliqua tantum jura Vicariorum in dubium vocant.

Non miror, cum tanta fiducia DD. modo, quæ ipsa Aurea Bulla commemorat, jura lacessant, modo quæ illa tacite complectitur, denegent, ac reservata omnino omnia ab illis exerceri non posse, audaciter pronuncient, eos in singulis juribus convellendis non minorem sibi licentiam arrogasse. Conquisitis undique ratiunculis modo hoc, modo illud jus Majestaticum in dubium vocarunt, ut, si universa negantibus nemo crederet, singula impugnantibus fides facilius haberetur. Quibus quanta vis insit, videbimus, si collegerimus, &, quantum fieri poterit, in ordinem collocaverimus singula jurium genera, quæ ex argumentis minus idoneis illi Inter Regibus Germaniæ denegarunt.

§. XXII.

Minus recte autem illis denegantur (a)

Itaque primo, ut inde exordiar, illi mihi videntur falli, qui *causas majoris momenti ad potestatem Vicariorum non pertinere*, cum LYNCKERO *ad Schwed. P. sp. S. 1. c. 6. §. 5. p. 29.* con-

contendimr. Quæ enim graviores esse possunt, quam, quæ in ipsa sanctione Carolina expressa sunt? Cur de reliquis cur idem esse judicium non debeat, haud appareat. Equidem si ex mandato Cæsaris æstimanda Vicariorum foret potestas, videri poterat adesse causa, cur singuli gravioris momenti actus nominatim exprimerentur. Nunc cum ex legibus Germaniæ, & ex antiqua consvetudine, ac ex juris gentium principiis Vicarii tantum possint, quantum illi, quorum vices gerunt, cur in gravissimis quibuscunque causis eorum potestatem agnoscere dubitemus? Aliquibus operæ pretium est, exemplis eam asserere, in primis cum occasio se offerat hac ratione contra alios quoque juris publici interpretes quædam jura Vicariis vindicandi. Non leve puto, sed insigne *jus* Imperatorum est, *quod* in legibus condendis occupatur. Nam licet illi absoluta eas ferendi potestate non gaudeant, *Instr. Pac. Osnabrug.* §. *Gaudeant*, *Cap. Jos. a.* 2. potiores tamen partes sibi vindicant, & non modo plus hic quam quisquam Ordinum auctoritatis habent, sed & quædam veluti præcipua sibi suo vindicant jure. Nam nec facile invitis iis lex ulla sancitur, RHET. *Inst. Jur. publ. L.* 2. *t.* 24. §. 16. &, quæ sancitæ sint, nomine eorum promulgantur, vid. STRYK. *V. M. t. de LL.* §. 3. Jam fac, interregni tempore legem condendam esse. Cujus erunt, quæ Imperatoris sunt in gravissima causa partes? cujus nisi imperii Vicariorum? Fac, ob utilitatem publicam mutandam aliam, aut abrogandam esse, quis Cæsaris vicem nisi vicarius sustinebit? Tum si de legum interpretatione agatur, quis in nobilissimo Majestatis jure fungetur partibus Imperatoris, quam Saxo & Palatinus? His oportet jus relinquamus, nisi eo velimus delabi, ut aut non incidere posse de his interregni tempore quæstionem, aut decisionem ejus, donec Rex novus eligatur, differendam esse, credamus. Sed LYNCKERO tamen aliter visum est, ex cujus placitis si æstimanda esset Vicariorum amplitudo,

Jura, quæ majoris momenti sunt.

Quæ ipsis asseruntur, in primis jus condendi leges.

Easdemque abrogandi & interpretandi.

Dissent. LYNCKER.

 plitudo,

plitudo, ne ad tenues ea revocanda limites est restringenda foret. Verum non quis quid, sed quid quis dicat, attendi fas est. Videamus ergo, quid adferat pro sua *Vir Illustris* sententia. Negat, effectum Majestaticum habere, quæ per rempubl. Cæsare orbatam decernuntur. Cujus sublimioris philosophiæ principia aut non capio, aut nullam video causam, cur effectus legis denegari possit constitutionibus, quæ tempore interregni conduntur, *ad Sweder. P. Gen. cap. 3. §. 4.* Nisi forte existimet LYNCKERUS, Majestatem totius imperii morte Cæsaris ita expirare & evanescere, ut in universo imperio vis ejus nulla supersit, quæ non nisi novo electo Rege redeat, ac interim in imaginariis spatiis veluti versetur. Quod si cui persvadere valeat, non dubito, quin & cætera jura omnia etiam contra manifestam Aureæ Bullæ dispositionem Vicariis possit denegare. Nam his principiis imbutus dubitabit, an effectum Majestaticum habeant, quæcunque circa causas Statuum in Vicariatus judiciis durante interregno expediantur: quod quam ab omnibus iuris universalis & Germanici principiis alienum sit, per se patet. Respondeat pro nobis LYNCKERO MAURITIUS *de Recess. Imp. th. 16.* Si casus, inquit, eveniat, ubi id usus reipubl. Germanicæ postulet, non dubitamus, Vicarios imperii una cum Statibus leges condere, & Recessus Imperii promulgare posse. Neque enim a republica, qualis etiam illo tempore est Germania, abesse possunt jura Majestatis, & inter ea potestas leges ferendi, quam si sublatam quis, aut dilatam in tempus electi Imperatoris velit, is jam anarchiam, non rempublicam eo tempore Germaniam esse, inepte constituet. Conf. SWEDER. *l. c.* & D. HORN. *c. 7. §. 11.* ubi etiam ipsam *Auream Bullam* a Vicariis interregni tempore *mutari posse*, ostendit. Equidem MULZIUS *P. 2. c. 1. §. 13. n. 77.* confirmationem Imperatoris hoc casu desiderat, nec nisi illa accedat, legem latam firmo talo stare pronunciat;

tiat; eamque ob causam addit, Electores confirmationem sibi ab Imperatoribus stipulari. Ast etiam citra eam, quicquid interregni tempore Vicarii & Ordines constituunt, validum esse verius putamus. Neque enim confirmatio vim demum eis tribuit, sed si omnino adhibetur, pacti instar est, qua novus Rex, se non sollicitaturum leges rite conditas promittit. Quid enim frequentius est, quam Capitulationibus Reges etiam ad eorum observationem adstringere, ad quæ vel citra pactum ex ipsa lege gentium naturali obligabantur. Sed & in eo fallitur MULZIUS, quod *absente Imperatore legem non ferri posse*, existimet, nisi ipse Imperator potestatem hanc Vicario committat. Absente enim Imperatore eandem regulariter potestatem esse Vicariorum, ac tempore interregni per se constat, & comprobat *Consult.* D. KREGEL. *Diss. de Vicar. Sax. in cas. abs. Imp. th.31.* Id omittendum non est, ad jus legislatorium etiam potestatem dandi privilegia pertinere, quæ sicuti Imperatori negari nequit, *Cap. Leop. a. 45., Jos. 44.;* ita eo defuncto Vicariis concedenda est, quod vel tacentibus nobis, qui interregni tempore prodierunt illorum auspiciis, libri, & privilegiorum tabulæ profitentur.

Etiam absente Imperatore jus hocce Vicariis competit, qui & gaudent potestate dandi privilegia.

§. XXIII.

Idem sentiendum est *de jure indicendi comitia*, quod interregni tempore ad Vicarios imperii spectat. *Qui & in terris juris sui separatim conventus cogere* (a), *& universalia imperii comitia conjunctim conscribere* possunt. Id quod dubio carere profitetur *von* HERDEN *Grundfeste P. 1. c. 2. p. 15.*, MAURIT. *Diss. de Recess. Imp. th. 17. p. 142.*, RHET. *L. 2. t. 24. §. 3.*, SWEDER, *P. Spec. S. 1. c. ult. §. 8.*, KNIPSCHILD *de Civit. Imperial. L. 2. c. 33. n. 48.*, CONRING. *de Comit. §. 8.*, TITIUS *L. 6. c. 4. §. 6.* Enimvero res ipsa docet, gravissimas sæpe interregni tempore urgere causas, ut comitia convocari necessum sit, nec differri ea ad electio-

Jus indicendi comitia Vicariis imperii competit.

(a) De quo dubitare videtur D. TITIUS *L. 5. c. 9. §. 22.* Conf. NITSCH. *ad Cap. Joseph. art. 35. n. 92. seq.*

ctionem novi Imperatoris queant. Ergo nunc Cæsaris vicibus qui funguntur, id quod muneris ratio jubet, expediunt, & saltim adhibito consensu Electorum, quem nec ipse Imperator negligere potest, vid. *Cap. Leop. a. 17. Jos. a. 16.* conventus indicunt: quamvis ne Electorum quidem consensu opus esse, non sine probabilibus argumentis contendat ARUMÆUS *de Comit. c. 3. §. 44.* Hoc jus Inter Regum ipsi Principes Electores agnoverunt, quod literæ docent Electoris Trevirensis ad Fridericum Palatinum *an. 1552.* datæ, quarum meminit AUTOR *Deductionis* der Pfälzischen *Vicariats*-Gerechtigkeit. Add. AUTOR des deutschen Reichs-Staats *P. 7. c. 1. p. 2.* Sed & cum extra ordinem Vicarium per universum imperium *Fridericum* Saxonem *Sapientissimum hujus Almæ conditorem* constituisset Maximilianus, nominatim ei potestatem dedit Ordines convocandi, & indicendi comitia, vid. MÜLLERI Reichs-Tags-Staat *L. 1. p. 715.* idemque jus in aliis regnis vicariis competere, ex CROMERO docet *Vindex Vicariatus §. 274.* Add. LIMN. *ad A. B. c. 5. §. 2. O. 14. n. 6.* SCHÜZ. *Vol. I. Ex. 10. th. 1. lit. d. p. 767.* Quod cum tanto consensu DD. tradant, ac dubio etiam carere profiteantur, idem tamen solicitat LYNCKERUS *ad Swed. l. c. p. 60.* quem sequitur *Excell.* WILDVOGELIUS *Diss. de Unione Electorali th. 48.* Nullum ejus rei dicunt extare exemplum. Sed extare, ait ARUMÆUS *l. c.* Verum fac, non extare: Sane uti exempla jus non faciant; ita, si exempla desint, aut non ilico occurrant, jus propterea denegari non potest. Sed hujus argumenti vim infra expendemus. Ad cæteras rationes progrediamur. Unioni Electorali repugnare jus hoc, asserunt. In ea ego, quod Vicariis opponi possit, nihil observavi. Ipsi Vicarii hereditarii hoc pactum inierunt, & ne quid in præjudicium juris sui fieret, *§. 8.* diligenter caverunt. Curam imperii Electores sibi in hac unione vindicant. Inde vero non sequitur, ergo comitia indicendi Inter reges jus non habebunt. Electori Moguntino

An consensu Electorum opus habeant?

Dissent. LYNCKER. & WILDVOGEL.

no jus convocandi largitur §. 7. Sed de conventibus Electoralibus agit. Itaque non magis Vicariis obstat, quam Aurea Bulla, quæ vacante solio Moguntino jus dat septemviros ad novi Regis electionem invitandi, *Aur. Bull. c. 1. §. 18.* Directorium Moguntinum, quod absente, vel mortuo imperii Cancellario, Archi-Marescallo, Saxoniæ Electori competit, salvum ubique esse cupimus, volumusque; id vero eo pertinere, ut vacua sede regia jus convocandi comitia Vicariis denegetur, persuaderi nobis haud patimur. Fungitur Moguntinus interregni tempore partibus suis non minus, quam Rege superstite, sed Regis vices in comitiis Vicarii sibi vindicant Moguntino non contradicente. Illud vero quam leve est, quod movent dubium Viri Celeberrimi, Vicariis, quæ competunt, jura divisim, non conjunctim competere, adeoque nec Palatinum, nec Saxonem comitia indicendi jus habere. Nam exinde confeceris forte, quemvis in suis terris comitia convocare posse, quod & nos supra asseruimus; sed plane propterea non erit hæc potestas illis deneganda. Ast quo autore tradunt, Vicarios omnia separatim, conjunctim nulla jura exercere? Nescio, an Camera imperii in mentem non venerit LYNCKERO aut WILDVOGELIO? Illa enim docere eos poterat vel ipsam potestatem judicia exercendi, quæ in Aurea Bulla nominatim exprimitur, ut plura alia taceamus, & divisim & conjunctim Vicarios sibi vindicare, ut, cur jus comitia indicendi non eodem modo habeant, nihil omnino obstet. Salva itaque res est, & sententia communis, quæ jus hoc Vicariis asserit. Ex qua etiam illud fluit, quod silentio prætereundum non est, *si durantibus comitiis Imperatorem fatis decedere*, aliquando *contingat, eas partes directorii, quas Imperator sibi vindicat, ad Vicarios imperii pertinere*, ut eorum auctoritate expediantur, quæcunque superstite & vivo Imperatore ipsius nomine gerebantur. Nam quamvis nec hujus rei exempla

Sed & jus dirigendi comitia ad Vicarios pertinet.

exta-

extarent, non tamen ideo negandum temere jus est, cujus exercendi antea forte occasio non extitit.

§. XXIV.

Jus belli & pacis Vicariis vindicatur.

Nulla gravior facile causa est, quam, quæ circa *belli & pacis jus* occupatur. Sed quo majus ex ejus abusu damnum reipublicæ metuendum est, eo arctius Proceres Germaniæ Regis sui circa utriusque juris arbitrium potestatem circumscripserunt, *Cap. Leop. art. 16.*, *Joseph. art. 15.* ut nec imperii nomine inconsultis Ordinibus suscipi bellum, nec componi possit. Sed *quæcunque* demum *Cæsari* circa utrumque jus *potestas superest*, *eam Vicarii* etiam, si necessitas aut belli gerendi, aut pacis sanciendæ incumbat, *recte sibi vindicant*. Interregnum certe non omne pacatum est, & ut in pace metuendum bellum, ita in bello pax respicienda est. Unde pacem iniri, aut bellum suscipi eo tempore posse, nemo negabit. In utroque autem negotio Imperatoris partibus soli Vicarii funguntur. Pro quibus præsumtio militat, cum in omnibus vices Regis gerant. Pro his ergo & nos militabimus. Sed causam illam satis jam Eybenius instruxit, qui de utroque Vicariorum jure *in Disp. de Jure Pacis th. 2. lit. B. p. 729. & de Jure Belli th. 2. lit. E. p. 697.* adversus Limnæum pugnavit. Neque sane Limnæus quicquam contra attulit, quod non adversum quævis jura alia objici possit: quibus argumentis generalibus cum superius jam responderimus, ad alia jura Vicariorum progrediemur: Si hoc saltim addiderimus, solicitam satis juris hujus curam habuisse Vicarios Saxonicos, quoties armorum terror Germaniæ imminere fuit visus. Laudant D. Jo. Georg. I. annales providentiam, qui cum ante hos ipsos 99. & quod excurrit, annos, vice prima Vicariatum susciperet, in terris suis, sed & in Vinariensibus, quas tutor administrabat, decimum, ac dein quintum quemque subditorum, &, si necessitas ita postularet, cives singulos ad arma capienda paratos

Jo Georg I. Vicar. Aufgeboth des fünften Manns.

esse,

esse, jussit. Extant rescripta apud GOLDAST. in denen Reichs-Händeln *P. 7. p. 111. seq.* in quibus ita Inter Rex Serenissimus edixit: *Jhr wollet euch nicht alleine mit euern Ritter-Diensten in guter Bereitschaft, sondern auch neben andern Leuten dermassen gefast halten, damit auf Erfordern, ihr mit euern Pferden, und denn auf das erste Aufgeboth der zehende, auf das andere Aufgeboth der fünffte Mann, und endlich alle euere Mannschaft an Orte und Ende, da wir euch bescheiden werden, gerüst erscheinen, und was euch und ihn befohlen, zu Wercke richten möget.* Cujus optimi Principis *providam curam superavit Rex* noster *Potentissimus*, qui sextum quemvis civium non ita pridem, & deinde quintum, ac tandem universos ac singulos PRO PATRIA (quo symbolo interregni tempore D. Jo. Georg. II. usus est,) militare jussit. Nec minus sollicitudinem pro publica salute indicant literæ, quas Vicarius ad Ordines imperii dedit. Liceat nobis, quæ huc pertinent, ex illis inserere: *Je gefährlicher nun die Zeiten bey dem fortwährenden Reichs-Kriege, und andern besorglichen Conjuncturen sich ereignen; je nöthiger ist es, daß ein gutes Vernehmen, und der innerliche Friede und Wohlstand erhalten und bevestiget, folglich allerhand Unruhe und Empörungen verhütet, und das jenige, was sonderlich wegen der Neutralität bey der Reichs-Versammlung zu Regenspurg im nächstverwichenen Jahre zum Schlusse herkommen fest gestellet, und zur Execution gesetzet werde.* Et post nonnulla interjecta: *Eur. Maj. und Lbd. und Ihr wollen sich auch den H. Röm. Reiche zum besten einheimisch, und in guter Verfassung dermassen halten, &c. daß neben andern Mit-Ständen des Reichs, Friede und Recht zuerhalten, über die zum Reichs-Kriegs-Contingent gehörige Hülffe, noch eine mehrere Macht nach jedes seiner Landen und Oerter Vermögen, bereit zuschaffen, und solche Hülffe und Beystand innerlich, damit der gegen den gemeinen Reichs-Feind ha-*

 bendên

benden Kriegs-Verfassung nichts abgehe, zugebrauchen sich angelegen seyn lassen, & reliqua. Scilicet pertinet ad illustre eorum munus, *providere, ne quid respublica detrimenti capiat*, ne aut exterorum vi & impetu concutiatur, aut domesticis & internis motibus publica tranquillitas turbetur, impediaturve. Quam si quis contra leges publicas violet, invadat, non ambigendum etiam puto, quin banni imperialis fulmina excuti possint *a Vicariis*, & consentientibus Electoribus, ad quos hæc cura pertinet, interregum nomine *declaratio banni decerni*. Alias enim facile foret interregni tempore cuncta miscere, sublato omni ad electionem novi Regis metu & reipublicæ vinculo. Quod quam a salute publica, & habitu reipublicæ nostræ alienum sit, in aprico est. In primis vero si per leges ac conventiones Procerum jam declarata atque constituta sit banni pœna in earum violatores, ut sola fere supersit executio, nullus dubito, quin potestate hac Vicarii imperii uti possint. Quam competere eis Ordines Episcopatus Monasteriensis quondam agnoverunt. Hi enim, cum causam civitatis contra Episcopum tuerentur, inprimis allegabant: *Die Stadt sey gleichwohl von Ihr. Kayserl. Maj. seel. Gedächtniß, oder* der Herren Reichs-Vicarien Churfl. Durchl. als höchsten Richtern, in keine Acht erkläret, vid. LONDORP. *Tom. 8. c. 95. p. 164.* Atque hoc jus quoque uterque Pro Rex conjunctim non in suis quisque terris, opinor, exercet.

Vicariis competit jus banni decernendi.

§. XXV.

Sed ad alios pedem promovemus, ad eos nimirum, qui *causas gratiosas ad Vicarios pertinere, negant*, & omnem, quam habent, potestatem in administratione justitiæ versari sustinent, gratiæ in interregno nullum esse locum. Cum BALDO hic, PAULO CASTRENSI, & CAGNERANO nobis res est; sed eo facilius componenda, quo certius constat, rudes illos & imperitos fuisse principiorum juris publici, ut vix ab his quicquam,

Nec (3) jure Vicariis denegantur causæ gratiæ.

quam, quod solidum sit, aut speciem saltim habeat, expectare possis. Scilicet quia Vicarios generales Episcopi causas gratiæ expedire non posse, Pontifici placuit *in c. f. d. Off. Vicar. in 6to.* add. CHOCKIER. *Schol. ad Prec. Prim. Ferd. p. 72.* non dubitarunt DD. illi auctoritatem illius capituli etiam ad Vicarios imperii applicare. Sed nec Pontifici, qui ipse vicariatum temere affectat, integrum fuit Vicariorum potestatem restringere, nec de aliis, quam Episcoporum Vicariis in *d. c.* cautum est. Quæ ergo in Episcoporum favorem specialiter disposita sunt, illa scilicet Vicariis nostris impedimento erunt, ne in gratiosis causis referant vices imperiales? Apparere potest autem ex hoc argumento, quam jejuna & incongrua sit illa juris utriusque ad causas gentium & publici juris applicatio. Nam de potestate hac circa causas gratiæ nemini forte dubitare in mentem venisset, nisi illa olim hæresis plerorumque mentes invasisset, capitula Pontificum etiam in hujusmodi illustribus quæstionibus vim atque auctoritatem obtinere. Nunc ab his telis minus periculi est. Quæstio enim de potestate Vicariorum omnis, ubi leges Germaniæ publicæ, inquam, Constitutiones, & pacta Ordinum deficiunt, ex juris gentium principiis æstimanda est; cui dispositio illius capituli plane non convenit. Licuit sane Pontifici in Episcopis suis aliter statuere; sed quod præter generalem juris rationem illi placuit, id non debebat in præjudicium Vicariorum ad causas alienas proferri. Sed satis hoc refutarunt alii: BUXTORFF. *ad A. B. th. 73. p. 331.* MYLER. *ad eand. Diss. 4. th. 41.* Ill. COCCEI. *c. 16. num. 13.* Satis ipsa etiam Aurea Bulla, quæ exemplo precum primariarum declaravit, causas gratiæ non minus, quam justitiæ Vicarios imperii expedire posse.

§. XXVI.

Itaque nos nulli dubitamus, quin, si occasio ferat, *dignitates conferendi*, & in primis *nobilitandi jus Vicariis imperii* *com-* Vindicatur Vicariis jus nobilitandi.

competat. Nam quamvis nonnulli cuilibet Principi in terris suis *potestatem hanc* tribuant, *usus* tamen *imperii* eam *ad reservata* Imperatoris *refert*, quam Ordines in terris suis non exercent, si paucos excipias, quibus vi privilegii ea data est; Bohemiæ Reges, Austriæ Archi-Duces, & *Electores Saxoniæ, in utraque*, cujus Marchiones sunt, *Lusatia*. Sed Vicarii sine dubio jus hoc sibi asserunt. Exemplis non opus est: nec tamen ea desunt. Comitem enim Palatinum Rheni *anno 1619.* D. W. equestri dignitate exornavisse, STAMLER. *de Reservat. §. f. n. 3. p. 33.*, CRÜGER. *de Novemvir. Discurs. 19. §. 13.* ac LIMN. *L. 3. c. 12. n. 81.* observarunt, eodemque jure suo usum esse Vicarium Saxonicum, BECHMAN. *Ex. Exot. 5. c. 5. p. 266.* & SWEDER. *P. spec. S. 1. c. ult. §. 8.* tradiderunt. Nec occurrit, qui in dubium

Diss. HERMES. vocaverit, nisi HERMES *c. 24. n. 24.* qui *de facto facta jus non facere autumat*. Cujus magnopere non est ratio habenda, cum principium petat, dum ea jura, quæ in A. B. expressa non sunt, Vicariis denegata esse, existimat. Nos Vicariorum potestatem juris argumentis potius, quam exemplis, aut, ut HERMES

Vicariis asseritur jus creandi Barones, & Comites. loquitur, factis tuemur. Quare & *Barones creandi jus Vicariis non negaverimus*, licet, an eo usi sint, ignoremus. Sed nec *potestatem Comitum privilegia tribuendi*, quam PFEFFINGER. *ad Vitriar. L. 1. t. 11. §. f. p. 273.* Vicariis adimit, qui ne-

Diss. PFEFFINGER. minem eam Inter Regibus asserere posse, persuasus fuit. Obstare credidit Vicariis *Capitulationem Josephinam a. 43.* quam ego pro illis allegare non vereor. Siquidem, quod Cæsari jus concedunt leges imperii, id altera veluti manu Inter Regibus etiam tribuunt (a). Non igitur magis hic articulus, quam Bulla Aurea nostræ sententiæ objici potest, quæ investituram feudorum regalium Imperatori reservat. Ex ea enim jus

(a) Conf. AUTOR *Meditat. ad Capit. Jos. d. art.* qui jus dignitates conferendi ad Vicarios pertinere, agnoscit, ad minores tamen in primis minus recte id restringit.

jus Comites creandi ei reservatum esse, Vicariis exclusis, quod *non nemo* existimat, minime inferri potest; cum ne ad feuda quidem Comitum illud Aureæ Bullæ caput referri posse, supra evicerimus. Sane si non alia argumenta afferantur, etiam *Principum numero a Vicariis adscribi posse*, credam, consentientibus Electoribus, & Principum collegio, eos, qui ob bene merita insignia Ordini illi inseri meruerunt, & bonis feudalibus non destituuntur, ad amplitudinem istius fastigii pro dignitate imperii sustinendam. An Principes?

§. XXVII.

Creabunt ergo etiam, si velint, *Doctores*. vid. ZWANZIG. *P. 2. c. 2. p. 14.* & *Comites*, quos vocant *Palatinos*; quod jus solius Imperatoris est, *Dn. Præses in Diss. de Legitimatione Comit. Palatin. in terris Principum imperii th. ult.* Nam cæteri Principes eo hactenus usi non fuerunt. Vicarios tamen id sibi quoque vindicasse, constat. Joannem Seobaldum *Fabritium*, Professorem Heidelbergensem a Carolo Ludovico *an.* 1657. jura Comitis S. Palatii obtinuisse, THÜLEMARIUS *de Octovirat. c. 22. §. 26.* me docet. Sed & *eod. an.* D. Jo. Georgius II. Doctorem quendam eadem dignitate exornasse, BECHMANNUS *Ex. Exot. 5. c. 5. n. 325. p. 266.* monet, qui &, vidisse se diploma, *in Instit. Juris prud. publ. L. 2. c. 10. §. 16. p. 155.* addit (a). Neque

Vicarii gaudent jure creandi Doctores, Comites Palatinos.

(a) Sed &, dum hæc scribo, in manus meas incidit instrumentum Comitis Palatini, quem D. Jo. Georgius II. Vicarius imperii hoc honore dignatus est. Ita incipit: *Wir Zacharias von* Beichling, *des H. Röm. Reichs, auch Käyserl. Maj. Erbgefreyter und Reichs-Ritter-Genoss, Hof-Grafe, (zu Latein* Comes Palatinus.) &c. *thun hiermit kund* &c. *was gestallt der Durchlauchtigste und Grosmächtigste Fürst und Herr, Herr Jo. Georg der Andere, Herzog zu Sachsen*, &c. *als damals Käyserl. Maj. und des H. Röm. Reichs regierender* Generalis Vicarius & perpetuus Tutor, *auf dem Käyserl. Wahl und des H. Reichs* Deputations - *Tage zu Franckfurt am Mayn, in Krafft dessen* Majestätischen Vicariat - *Amts, vermöge*

quæ singulis tantum personis, sed *& collegiis ac universitatibus hoc jus tribuunt*, quemadmodum & ipsi Imperatores, quos *Facultati Juridicæ Rostochiensi* & Halensi, Kiloniensi, aliisque Academiis hujusmodi diplomata concessisse, notum est. Quale si quis *beneficium* a Vicariis impetraverit, id *tum* ipso *interregno non finitur*, sed perpetuo durat, sicuti & Cæsarum privilegia morte eorum non expirant, sed vim suam omni tempore retinent. Id vero vacante imperio in primis *a Comitibus Palatinis* quibuscunque *observari fas est, ut*, quicquid vi muneris sui expediunt, *auspiciis Vicariorum suscipiant*: unde & *notarios in instrumentis*, quæ tempore vicariatus conficiuntur, ejus, in cujus terris constituti sunt, *nomen* eo loco, quo Cæsaris titulus inseri solet, *exprimere oportet*, *teste* MULZ. P. 2. c. 32. n. 18. *Quos & ipsos*, vid. VITENBACH. c. 25. p. 284. non minus, quam *poëtas*, quos *laureatos* dicunt. J. ZWANZIGII P. 2. c. 2. p. 14. a *Vicariis creari posse*, nemo est, qui dubitet.

Et notarios, qui tempore interregni instrumentis inserere debent titulum & nomen Vicarii.

Nec non poetas laureatos.

§. XXVIII.

Videas etiam DD. passim facultatem *legitimandi*, *restituendi famam*, *dandi ætatis veniam*, *& moratoriæ concedendi*, ad ea jura referre, quæ per gratiam interregni tempore a Vicariis exercentur. *Natalium defectum abolendi* potestatem eis tribuit VITENBACH. c. cap. 25. p. 284. & parum alias Vicariis

Jus legitimandi,

[illegible] æquus

eines gnädigsten Diplomatis, *dessen Anfang also lautet* &c. *Und gegeben zu Franckfurt am Mayn den sechsten Monats-Tag* Julii *im 1658sten Jahre in §. Wir geben auch hiermit benannten Zacharia von Beichling unsere vollkommene Gewalt und Macht, daß er an Kayserl Maj. und Unserer statt zu* Notarien, *öffentlichen Schreibern und Richtern* creiren *und machen soll*, &c. *und die im gantzen H. Röm. Reiche, und Churfl. Sächs. Landen aller Endes, in allerhand* Negotiis *und Verrichtungen für gnugsam und* approbiret, *gleich andern, gehalten werden sollen*, &c. & in- *und bey Vermeidung Kayserl. Maj. des H. Röm. Reichs und Churfl. Durchl. zu Sachsen schwerer Ungnade*, &c. &c.

æquus HERMES c. 24. n. 25. *Jus infamiam tollendi*, MYLER. *ad A. B. Diss. 4. th. 22.* & THULEMAR. c. 22. n. 26., ARUM. *Vol. III. D. 8. th. 85.* Facultatem *defectum ætatis supplendi*, J. id. j. MYLER. *Etiologia c. 1. §. 5. p. 9.* Protectoria, & literas, quas dicunt, moratorias dandi, ROSLERUS *in Tr. de Protectoriis c. 3. §. 8. lit. e.* & qui hanc gratiam Vicarium Palatinum civi Z. P. T. F. fecisse memorant BUXTORFF. *ad A. B. Concl. 73. ad c. 5.* ac SCHÜTZ. *de Vicar. Imper. Concl. 12. lit. b.* Quin & pleraque jura hæc in tabulis Palatinorum, quæ apud FREHER. *ad P. Andl. Not. imp. L. 2. c. 10. p. 200. seqq.* extant, nominatim continentur. Et, fateor, in simpulo fluctus excitat LIMNÆUS *O. 13. n. 1. ad A. B. c. 5. §. 2.* dum dubitat, *an per extensionem*, an per *competentiam* Vicarii illa jura exercuerint. Cautione tamen opus esse puto, si quis illa jura, tanquam Vicariorum prærogativas, velit commemorare. Nimirum *non aliter ea huc pertinent, quam quatenus sunt reservata* Imperatoris. Cum itaque *legitimandi jus Principes imperii sibi* rectius in territoriis suis soli *vindicent*, ac Comites Palatinos ab ejus exercitio excludant, vid. *Dn. Præsid. d. Disp. de Legitimat. Comit. Palatin. in terr. Princip. imper.* cum *veniam ætatis* Ordinum subditis non Imperator, sed *ipsi Ordines*, qui sublimia jura territorialia exercent, *tribuere* soleant, vid. *Rescriptum D. Jo. Georg. III.* apud *Eund. in d. Diss. de Jur. legitim. Princip. imper.* cum *famæ restituendæ potestatem*, quoad subditos Principum, reservatis Imperatoris leges imperii non accenseant, vid. *Dn. Præs. in Diss. cit. de Jur. restituendi famam*, ac in moratoris quoque tribuendis Ordines aut excludant Imperatorem, aut cum eo concurrant, facile apparet, Vicariorum in his potestatem latius non patere, quam Cæsaris, cujus jura tuentur. Neque tamen ideo nihil prorsus hic ipsis superest, ac præ cæteris Principibus competit, nam *in civitatibus imperii*, & *inter nobiles immediatos*, qui regalium istorum exercitio destituuntur, Vicariorum se potestas

famam restituendi, ætatis veniam. & Protectoria dandi.

exerit.

exerit. Exerit se etiam in Comitum, & juxta Thulemarum & Swederum ll. cc. in Principum imperii liberis. Vid. tamen Dn. Præs. Disp. cit. de Jur. legitimandi, Lips. habita, th. ult. si natalibus restitui velint, ac ut paucis summam rei complectar, quicquid in his gratiosis juribus Cæsari hodieque in imperio competit, id etiamnum Vicarii in terris sui quisque juris valent exercere.

§. XXIX.

Jus confirmandi Academias.

Non minus ad hanc jurium classem pertinet potestas confirmandi Academias, & quidni ergo etiam ad jura Vicariorum? Ita censent omnino Itter. de Gradib. Acad. c. 6. §. 17. c. 11. §. 16., Thulemar. c. 22. §. 19. p. 386., Bechmann. Ex. 5. c. 5. n. 315. p. 266. &, qui unus instar omnium nobis est, Perill. Autor des Europ. Herolds P. 1. p. 888. Sed moram injicit Lynckerus ad Swed. P. spec. S. 1. c. 6. §. 5. qui, moram pati has confirmationes, ait, ideoque usque ad electionem Regis differri debere; quod perinde est, ac si potestas ProRegum ad causas minoris tantum momenti, & quæ celerem expeditionem desiderant, restringenda foret. Ita undique conquirit limitationes Vir Celeb., nec eas tamen, ut par erat, comprobat legibus, quæ causas moræ patientes nullibi Vicariis subduxerunt. Lynckero Limnæum jungimus, qui L. 8. c. 1. n. 35. nobiscum consentit, sed post (ita non semper δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι) mutata sententia se in errorem præcipitem datum & deceptum fuisse, queritur, O. 13. ad A. B. c. 5. §. 2. n. 4. Me illius rationes parum movent. Alia est, quæ me urget, dubitandi causa. Nimirum, qui Inter Regibus Germaniæ hoc jus tribuunt, supponunt, sine confirmatione Imperatoris erigi scholas solenniores non posse, eamque potestatem reservatis Cæsaris accensent. Id utrum evicerint, nescio: ex Ordin. Camer. P. 1. tit. 3. & Instrum. Pacis Osnabr. 4. 10. §. 13., ad quos provocant, demonstrari posse, non puto. Itaque eam rem in medio relinquo, cum mihi sufficiat ostendisse,

Diss. LYNCKER, qui minus recte negat (γ) Vicariis jura, quæ moram patiuntur.

Diss. & LIMNÆUS.

diſſe, minus idoneas eſſe, quas contra Vicarios afferunt, qui Cæſari jus hoc vindicant, cauſas; & quicquid huic circa hanc poteſtatem competit, id omne Vicariis imperii aſſeruiſſe.

§. XXX.

Novam exceptionem inveniſſe ſe putarunt alii Viri Celeberrimi, qui, cum Vicariis jura Imperatoris quæcunque aſcribant, ea tamen ipſis adimant, *quæ vi coronationis Imperatori competunt*, cum Coccejo *c. 16. num. 13.* & Schiltero *de Vicariat. th. 15, p. 19.* Hi ſi recte explicarent, quæ ſint illa, quæ ex inauguratione demum Imperator conſequitur, jura, habere poterat aliquam eorum philoſophia ſpeciem; nunc cum id agant, ut jus A. B. expreſſum *precum primariarum* Vicariis extorqueant, non poſſumus non modis omnibus eorum ſententiam improbare. Quæ enim, quæſo, lex imperii jura Majeſtatis quæcunque Imperatori ob coronationem tribuit? aut quæ ſunt diverſa illa a reliquis jura, quæ Imperator, niſi coronatus, exercere nequit? *Inveſtit etiam ante*, quam diadema ſuſcipit, *cognoſcit cauſas*, confert dignitates, honores diſpenſat. Dixerim propemodum, coronationem nihil novi conferre Regi Germaniæ, ſed ritu ſolemni tantum confirmare ac declarare jura per electionem & capitulationem in Imperatorem collata: niſi forte quis hunc in ordinem referat, quod nonnulli tradiderunt, *Imperatores per coronationem ecclesiarum quarundam fieri canonicos*, vid. Conring. *in Animadv. ad Bullam Innoc. X. c. 9. p. 310.* cui uti facile dederim, Vicarios ex his præbendis ſibi nihil poſtulare, ita jus precum primariarum, cujus cauſa hanc hypotheſin aſſumunt Viri Clariſſimi, miror, ab iis eam in claſſem collocari; ab *Ill.* Coccejo in primis, qui *c. 22. num. 6.* etiam ante coronationem noviter electo Imperatori poteſtatem eas dirigendi competere, ipſe profitetur. Schiltero vero, quod pace Viri Celeberrimi dixerim, non ſatis conſtans in hoc argumento

Alii excipiunt (δ) jura, quæ Imperator vi coronationis competunt.

Et ex hac ratione fruſtra jus precum primariarum Vicariis negant.

Quod neutiquam vi coronationis Cæſar exercet.

fuit philosophia. Nam modo vi coronationis ait id Imperatorem exercere *cit. th. 15.*, modo *aequaliter electo*, *th. 11.* d. Diss. id asserit, modo cedi hoc jus posse, contendit, modo nihil obstare, quo minus ex speciali concessione a Vicariis exerceatur; *p. 15.* nunc iura omnia Vicariis competere largitur, quae non expresse Aurea Bulla prohibeat, quae subticentur concessa videri *p. 18.*, nunc specialem concessionem desiderat, quam in A. B. negat contineri, *p. 15.* Huc scilicet impulit Virum Clariss. illa, qua jus precum primariarum Vicariis denegare praesumserat, sententia. Sed ut paucis erroris illius occasionem indicemus, ingenue fatemur, *Imperatores plerosque quondam*, sive ex superstitione nimia, sive ex causis politicis ut clericorum fastum retunderent, in diplomatibus precum *ad jus coronationis suae provocasse*. Ast ubi formulam eam in praejudicium suum verti adverterunt, ubi per sanctionem Pacis Westphalicae plenius ius obtinuerunt, abstinuerunt superflua coronationis commemoratione, nec ejus amplius meminerunt. Id si advertissent Viri Clarissimi, non, opinor, amplius ad inaugurationem jus primariarum precum retulissent; nec ex inani hoc ratiocinio Vicariis potestatem in Aurea Bulla datam denegassent. Add. *Disp. Dn. Praesid. de Precib. primar. Vicar. th. 5.*

§. XXXI.

Nec recte negantur Vicariis (ε) ea, quae Caesar semel tantum exercet, jura.

Idem sentiendum est *de juribus illis, quae Imperator semel tantum exercet*; quamvis haec quoque Coccejus *l. c.* & Swederus *P. sp. S. 1. c. 5. §. 16.* excipiant, non aliam puto ob causam, quam quod solida deerat ratio jus precum primariarum in dubium vocandi. Neque enim facile, puto, occurret jus, quo semel tantum Imperator quisque utatur, praeterquam illud ipsum precum primariarum. Enimvero si saepius hanc Imperator potestatem in eadem ecclesia sibi vindicaret, eadem & Vicarii saepius uterentur. Nunc cum non nisi

nisi unas & primas preces ecclesiæ admittere teneantur, Vicariorum quoque unicæ & primæ vim suam obtinebunt. Scilicet falluntur Viri Celeb., si existimant, *defuncti Regis imperium a Vicariis veluti continuari*, & interregnum accessionem regni proximi censeri, cum locum quidem defuncti Cæsaris Vicarii tueantur, sed non ejus nomine, & vice rempublicam gubernent, ac *temporarium quidem eorum, distinctum tamen & separatum sit imperium*, quod nec ad ejus, qui decessit, nec, qui postea eligendus est, imperium proprie referri potest: quamvis, si vel maxime frustra supponas, *quod dari & concedi nulla ratione potest*, Vicarios nomine defuncti Imperatoris administrare, non omnino tamen poterit eis jus præsentandi ad beneficia ecclesiastica denegari, saltim *in iis ecclesiis, in quibus Imperator suo jure nondum fuerat usus*, ut, quod ille haud exercuit, Vicarii ejus & vice & nomine usurpent. Adeo non cohærent, quæ de juribus, ex inauguratione Regis oriundis, & illis, quæ semel tantum in singulorum imperiis locum habent, Viri Celeb. tradiderunt.

§. XXXIII.

Neque magis probo eorum doctrinam, qui ea, *quæ ipse Imperator non solitus erat facere*, aut *quæ non nisi cum difficultate Princeps concedat*, Vicariorum potestatem excedere, tradunt. Opinionem illam RIMINALDO & AFFLICTIS tribuit BUXTORFFIUS *ad A. B. th. 71. p. 329. seqq.* qui boni Viri frustra sibi persvadent, jus vicariatus ex concessione Imperatorum dependere, & Inter-Reges nomine ac jussu & auctoritate Imperatoris amplissimas suas tenere partes: cum jure proprio illas sustineant publica imperii lege constituti, ut non quid voluerit Imperator ipsis tribuere, aut quid ille facere fuerit solitus, sed quid leges Imperii permittant, & quid fieri vetent, respiciendum sit. Ut taceam, nimia obscuritate laborare istas Doctorum inutiles limitationes. Quis enim

Aut (ζ) quæ Imperator facere non est solitus.

 expe-

expediat, quæ defunctus Imperator facturus fuisset? quis divinabit, quid ille non fuerat permissurus? ut non multo melius se habeat ista traditio, quam inepta nonnullorum philosophia, qui actus excipiunt speciale mandatum desiderantes; quorum errorem & antea excussimus, & adeo manifestum esse arbitramur, ut prolixa confutatione non indigeat. Add. SCHARSCHMIDT *ad Schütz. p. 330.*

§. XXXIII.

Aut (γ) quorum exemplum non extat. De potestate concedendi nundinarum privilegia.

Tam solicite DD. irrito licet conatu varias exceptiones ac limitationes excogitarunt, quibus potestatem Vicariorum, quam leges imperii amplissimam esse voluerunt, restringerent, circumscriberentque: nemo tamen in iis cumulandis ingeniosior extitit, quam, cujus sæpius jam mentionem fecimus, *Autor Anal. ad Sweder.* Is enim tandem ea quoque jura Vicariis negat omnia, *quorum præjudicium, vel exemplum nullum ostendi potest.* Hinc, ut alia omittamus, *P. spec. S. 1. c. 17. §. 13. jus concedendi nundinas*, quod SWEDER. *d. l.* recte Interregibus asseruerat, ille in dubium vocat, perinde ac si nihil Vicariis liceret, quod non ab illis occupatum, exercitumque fuisse constet. Cætera enim argumenta, quæ *d. l.* congessit, quod moram patiatur illud jus, & concessio hæc ad vim imperii non pertineat, jam supra excussimus (a). Quis vero unquam potestatem quamcunque exemplis solum, & præjudiciis æstimavit? quæ uti jus non faciunt, ita nec, si desint, ad denegationem ejus quicquam valent. *Nihil* sane *licuisset illis, qui primum vicariatu defuncti sunt, si nihil quicquam ipsis integrum fuisset, cujus nullum præjudicium extaret. Quæ olim exemplo caruerunt, nunc inter exempla sunt,* & *quorum nondum exemplum extat, illis olim hæc exceptio opponi non*

(a) Quamvis quid velint sibi verba hæc: *jus dandi privilegia nundinarum ad vim imperii non pertinere*, nondum satis assequar, &c. Vid. *supra* §. 25. *seq.*

non poterit, si juribus suis Vicarii strenue *utantur*. Sed nihil attinet inhærere argumento, cui vim ac robur nullum esse, cuivis per se patet. Cæterum facultatem concedendi nundinas Vicariis vindicant FRITSCH. *de Regal. nundinar. jur. c. 4.*, SWEDER. *P. spec. S. 2. c. 17. §. 13.* quibus nos facile assensum nostrum præstamus. Sicuti & HANFFMANNO *Disp. de Re monetaria Concl. 6.* damus, *facultatem cudendi monetam a Vicariis impetrari posse*, eodem modo, quo Imperator jus hoc concedit, accedente nimirum Electorum consensu, quem Capitt. Impp. requirunt. Equidem CARPZOVIUM contra sentire, ac HANFFMANNO contradicere, tradit LIMNÆUS *ad A. B. c. 5. §. 1. O. 13. n. 3.* sed is eo, quam excitavit LIMNÆUS, loco *de Leg. Reg. c. 8. S. 7. num. 6. & num. 12.* dicit quidem, jus monetæ ad Imperatorem spectare, sed Vicariis tamen nihil quicquam negat, nec alienum ab HANFFMANNI sententia fuisse ex iis constat, quæ *c. 11. S. 15. num. 1. & 27.* tradit, ubi omnia Imperatorum jura Vicariis vindicat, quæ non expressa lege illis sint denegata. Dandi jus monetæ.

§. XXXIV.

Itaque non ea modo jura, quæ Aurea Caroli IV. Bulla recenset, sed & quorum illa mentionem non fecit, reservata quoque Imperatoris, jura majoris momenti, causas gratiæ, &, quæ moram non patiuntur, denique quæ Imperator non nisi semel exercet, & quorum exemplum non extat, ac reliqua, quæ nominatim non excepta sunt, omnia Vicariis imperii salva esse, ostendimus. quam quidem sententiam & leges & observantia imperii, & juris gentium principia satis tuentur. Idem omni tempore & Ordinum imperii, & Principum Electorum in primis de juribus Vicariorum fuit judicium, quæ & A. B. & pacta unionis Electoralis, & Capitulationes Cæsarum confirmant. Idem nos docent *tabulæ Palatinorum Comitum*, quæ privilegia a Ruperto, Carolo, Maximiliano, Rudolpho, & reli- Vicariorum potestatem, & eam, quam tuemur sententiam. confirmant privilegia Palatina.

reliquis Imperatoribus data continent, vid. RUSDORFER. *in Vindit. Causæ Palatin. in præfat. n. 204. p. 37.* & apud FREHER. *de Orig. Palatin. c. 16. p. 133.* & GOLDAST. Reichs-Satzungen p. 231. extant. In his enim Imperatores profitentur, Vicariis competere *plenam*, & *liberam*, & *omnimodam auctoritatem*, temporalem & gereralem jurisdictionem, & gladii potestatem, merum & mixtum imperium, ac etiam administrationem, & jurisdictionem omnimodam, contentiosam & voluntariam, jus puniendi, deportandi, ultimo supplicio addicendi, census, reditus, *proventus*, *emolumenta*, ad Sacrum Romanum Imperium pertinentia, *exigendi*, recipiendi, & *ad usus suos pro defensione S. imperii supportandi*, & *applicandi*, Judæos defendendi & acceptandi, bona damnatorum confiscandi, officiales, & *imperialis judicii judices instituendi*, & *destituendi*, in integrum restituendi, *bannum imperiale pronunciandi*, *absolutionem concedendi*, infamia notatos publicandi, *infamiam tollendi*, & super ea dipensandi, de causis appellationum ad imperium *interpositarum*, seu interponendarum, cognoscendi, examinandi, decidendi, definiendi, *ferias*, *nundinas instituendi*, *feuda vacantia conferendi*, *ac de aliis infeodandi* & *investiendi*, *ad* canonicatus & *præbendas præsentandi*, *notarios* publicos & tabelliones *creandi*, *faciendi*, & de tabellionatus officio *investiendi per pennam* & *calamarium*, naturales, *spurios*, bastardos rite *legitimandi*, & generaliter *omnia* ac singula libere *faciendi* & exercendi, quæ ad *verum S. imperii Vicarium generalem pertinent*, etiamsi qua specialius exegerint mandatum, *etiamsi majora fuerint* expressis, & *quæcunque ad ipsum Imperatorem pertinent de jure*, *consuetudine*, *vel plenitudine regiæ potestatis.* Ex quo quidem luculenter patet, quanta sit, & quæ omni tempore fuerit Vicariorum amplitudo ac potestas, patet etiam, pleraque jura nominatim Vicariis tribui, quæ temere ab haut paucis in dubium vocantur. Integræ tabu-

læ

læ legi merentur, quas hic inserere nobis non licuit. Neque vero jura, quæ in illis continentur, ad solum Palatinum, sed *ad utrumque Vicarium ex æquo pertinent, in utroque & vacantis imperii, & absentiæ Imperatoris casu. Non tamen ea sola*, quæ nominatim recensentur, sed & cætera quæcunque alia, quæ legibus imperii non sunt excepta. Hoc negare nolim, *commemorari in istis tabulis quædam Imperatorum jura, quæ hodie ipsis non sunt amplius propria, sed a quibusvis territoriorum dominis in suis provinciis exercentur.* Nobis sufficit ex his etiam antiquitatis monumentis constare de summi muneris Pro Regum Germaniæ amplissima potestate.

§. XXXV.

Nunc ea paucis nobis expendenda sunt, quæ Vicariis Imperii non sunt integra, ne dissimulare videamur ea, in quibus potestas Inter Regum lege publica restricta est. Nihil vero præter investituram feudorum regalium, de qua antea dictum est, quicquam iis negat Aurea Bulla, nisi *alienandi & obligandi bona imperii facultatem; quæ prohibitio* licet de Palatino tantum caveat, *ad Saxoniæ Vicarium* eam tamen etiam *referri* posse, facile concedo. Nec est, cur mireris, hanc potestatem Pro Regibus denegatam esse, quum nec ipsi Regi Germani eam permiserint, qui & oppignorare, & alienare, nisi Electorum omnium consensus accedat, prohibetur *Capit. Carol. a.* 5., *Joseph. a.* 12. Quamvis eo, quo Aurea Bulla condita est, tempore jus alienandi habuisse Imperatores, STRAUCH. *de Oppignorat. rer. imper. th.* 22. *seqq.* & LYNCKER. *ad A. B. p.* 48. affirment, quod negat TITIUS *L.* 4. *c.* 3. §. 22. Add. ITTER. *de Feud. imper. c.* 7. §. 31. & PFEFFINGER. *ad Vitriar. L.* 3. *t.* 7. *th.* 8. *lit. a.* Utcunque illud fuerit, hodie Imperatoris & Inter Regum eadem, quoad hanc facultatem alienandi, est conditio. Unde &, si Principes *Electores consentiant, alienationem a Vicariis* non minus, quam ab Imperatore *fieri posse*

exi-

Vicarii nequeunt alienare, vel obligare bona Imperii.

Nisi Electores consentiant.

existimaverint; de quo dubitare videntur, qui, *utrum alienationibus Vicarii auctoritatem præstare possint*, in utramque partem disputant Buxtorff. *Concl.70.*, Itter. *c. 23. §. 7.*, Rumelin. *ad A. B. Diss. 4. th.20. p. 105.*, *Ill.* Cocceius quoque secus sentit *c.16. n.13.*, qui *interregni tempore* tantam *alienandi necessitatem* negat facile *incidere, quin expectari possit Regis vel reditus, vel successio.* Enimvero contingere potest, ut necessitas, quæ alienationes Imperatorum permittit, vacante sede æque urgeat, &, si Ordinum, quem Cocceius desiderat, vel Electorum saltim consensus adsit, necessaria alienandi causa non admodum requirenda videtur. Nam Aurea Bulla, quæ & alienationem prohibet, & Vicarios providere, jubet (a), ne qua pars imperii ad alios sede vacante transferatur, ad casum referri debet, quo Electores dissentiunt; saltim postquam per Capitulationem hæc conditio addita est, ex qua Auream Bullam fas est interpretari. Cæterum *Ill.* Cocceius *d. l.* addit: *nihil* obstare, quo minus Vicarii feudorum non regalium alienationi consentiant, *p. 308.* Sed Aurea Bulla inter regalia, & reliqua feuda nullam differentiam constituit, nisi quoad investituram. Itaque quod ad alienationem attinet, eadem in feudis quibuscunque necessitas consensum Electorum adhibendi, & Imperatori & Vicariis incumbere videtur.

§. XXXVI.

An Vicariorum potestas minor sit, quam Imperatoris?

Verum licet quoad facultatem oppignorandi & alienandi limitata sit Vicariorum potestas, ea tamen ideo non minor est, quam ipsius Imperatoris, cui jus hoc ipsum æque ademtum est. Quare quod Strauchius *Inst. Jur. publ. L. 1. t. 11. §. 10.* & Vitriarius *L. 1. t. 11. §. f.* tradunt, (aa) Vicari-

(a) Ita textus Germanicus habet: *Und derselbe Pfaltz-Graf* hat zuverbiethen: *Hiernechst ist demselben verbothen alle Veräusserung und Verpfandung derer Güther, so zum Reiche gehören.*

(aa) add. Crüger. Discurs. XIX. p. 387.

riorum non æque amplam esse potestatem, quam ipsius Cæsaris, id non aliter admiserim, quam *quoad jus investiendi de feudis majoribus*, in reliquis enim æquale, licet non æque diuturnum, est Inter Regum imperium. Id tamen facile dederim, ea quoque, quæ Cæsaribus non licent, nec Vicariis integra esse. Licet enim illi capitulatione nulla obstringantur, *non improbabilis* tamen est eorum *sententia*, qui ejus, qui decessit proxime, *Capitulationem* etiam *ad Vicarios pertinere*, contendunt cum *Dn.* HORNIO *c. 21. §. 10.* Scio, alios aliter sentire, ac supra *th. 23.* observavi, ARUMÆUM negasse, per Capitulationem Vicariis legem esse præscriptam: neque ulla sanctio imperii Vicarios ad ejus observantiam obstringit. Sed natura tamen ipsa Inter Regum efficit, ut probabilem credam esse sententiam, quæ ad eosdem limites & Imperatoris & Vicariorum potestatem restringit. Unde &, quæ per Instrumentum Pacis Westualicæ, & alias leges Imperatoribus negata sunt, Vicariis quoque ademta puto, cum SCHILTERO *de Vicariat. th. 15.* Cave tamen ex eo, quod diximus, ultimi Regis Capitulationem adhuc eo mortuo valere, hujus Vicarium Pro Regem esse, inferas, & morte interruptum, veluti imperium continuari. Plures in hunc errorem incidunt, ut denuo operæ pretium sit, eum adnotasse. STOECKENIUS ab eo sibi satis non cavit; hinc precum primariarum jus Vicariis in iis tantum ecclesiis superesse putavit, in quibus qui desierat esse Imperator, jure suo nondum esset usus. Non male itaque præcipiunt, qui jubent, Inter reges Germaniæ *Vicarios* potius Imperatores appellare, quam Vicarios Imperatoris. Add. TITIUS *L. 5. c. 9. §. 4.*

An Vicarios Capitulatio Imp. obliget?

§. XXXVII.

Habes, lector benevole, vindicias jurium, quæ perperam

Vicariis imperii a quibusdam denegantur. Jura tantum præcipua attigimus, nec alia fere, nisi quæ in dubium temere vocata fuere. Namque cæterorum inire numerum & virium & instituti nostri modum excedit, ut ne errores quidem, qui circa Vicariatuum origines, naturam, terras & fines frequentes occurrunt, colligere in præsenti nobis fuerit integrum. Sed, quæ nunc persequi non licuit, alii occasioni servamus. Id tamen, antequam finiamus, omittere non possumus, displicere nobis communem DDum sententiam, quæ

De Vicariis Italiæ.

Vicariis imperii Italiæ provincias subducit. LIMNÆUM, STRAUCHIUM, BECKERUM *p. 112.*, HENNIGIUM *p. 191.*, RHETIUM, ITTERUM, SWEDERUM, VITRIARIUM, COCCEIUM *c. 16. n. 11.*, LYNCKERUM *ad A.B. p. 44.* & *ad Sweder. P. 2. S. 1. c. 33. §. 2.*, TITIUM *L. 5. c. ult. §. 40.* novimus ei calculum adjicere. Sed rationes, quas urgent, Vicariis non obstant. Jus enim vicariatus perpetui, quod SABAUDUS, & quidem alii obtinuerunt, sicuti non impedit, quo minus Imperatori & imperio subsint, ita nec particulares hosce Vicarios universalium & generalium provisorum obsequio subtrahere potest. Ast nec Saxonico, nec Suevico jure utuntur. Ex hoc saltim colligo, nec ad Palatinum solum, nec ad Saxonem, sed ad utrumque Italiæ curam pertinere: unde & antea dixi, administrationem feudorum Italiæ vacantium ad utrumque spectare. Sed hæc quoque res expendi ulterius & explicari meretur. Non ma-

De Vicariatu in casu absentiæ.

gis probo communem interpretum *de jure Inter Regum absentis Cæsaris* doctrinam. Falluntur, qui utriusque Vicarii jus vocant in dubium, nec minus, qui Saxonem Vicarium excludunt, & qui de eorum potestate minus recte sentiunt. Sed his satis fieri potest ex iis, quæ de hoc argumento MÜLLERUS in Reichs-Staat *p. 723. seqq.*, & D. KREGELIUS *in pec. Disp. de Vicar. Sax. in cas. abs. Imperat.* tradiderunt: quorum sententiæ malumus, quam dissentientium multitudini accedere.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Coronidis locum occupet quæstio, quam in utramque partem agitatam, deprehendimus, *utrum Majestas Vicariis imperii possit tribui?* Negant VITRIARIUS *L. 1. t. 11. §. 8. & L. 3. t. 1. §. 5.*, UFFENBACH. *p. 285.* Affirmat TITIUS *L. 5. c. 9. §. 6.* qui insulsam dissentientis Vitriarii philosophiam esse dicit, & *in Vindiciis p. 215.* ulterius pro eadem sententia propugnat. Nobis si quicquam hic perspicimus, *lis esse ea de voce videtur*, non ipsa de potestate; & facile componi posse, si quis de terminis nolit controversiam movere. Nimirum largimur, *titulo Majestatis Vicarios abstinere*, ac *præ Regibus* etiam, præ quibus Imperator eminet, *præcedentiam sibi non vindicare*; MULZIO *p. 241. n. 41.* quoque credimus (a); Jura vero Majestatica, quæ Imperator sibi vindicat, pleraque omnia ab his nonminus exerceri, & eodem modo contendimus, ut, qui Imperatori Majestatem asserunt, vim & potestatem ejus Vicariis quoque concedere teneantur. Nisi forte quis existimet, temporis rationem obstare, quo minus Majestas Vicariis tribui possit, quod nonnullis placuisse videmus; quæ & ipsa tamen quoque magis de voce, quam de Jure Majestatis esse contentio, & ad λογομαχίας juris naturalis pertinere videtur. Bene SCHÜTZIUS *L. 2. t. 4. pos. 2. p. 428.* monet: si rerum moralium natura ex operationibus æstimanda sit, & inde facultates, quæ eosdem effectus habeant, eodem nomine nuncupandæ: neque temporis ratio naturam rerum mutet, potestatem Vicariorum, Imperatoriæ æqualem, Majestaticum elogium omnino mereri. Bene inquam: nam, quas addit deinde, dubitandi rationes illæ ita comparatæ sunt, ut non difficulter appareat, ipsum SCHÜTZIUM illis parum roboris tribuisse. Quare causam non habuisse videtur BECHMANNUS, qui *Inst. Jur. publ. L. 2. c. 10. S. 25.* negat, crimen læsæ majesta- Utrum Vicarii gaudeant Majestate? An crimen Majestatis in eos committatur?

(a) Quamvis hoc quoque neget CRÜGER. Discurs. XIX. th. 7. p. 394.

tis in Vacarios committi, & si ita quoque sensit Carpz. *Pr. Crim. q. 41. n. 27.* cum sine dubio securitatem resp. Germanicæ gravissime lædant, qui Vicarios imperii, eorumque Majestatem temere & impie uiolant. Quinimo cum ipse Carolus IV. in Electores etiam committi hoc crimen fateatur, quis non multo magis hujus sceleris immanitatem incurrere eos agnoscat, qui in ipsos Imperatoris Vicarios tale facinus audeant. Conf. Buxtorff. *Concl. 59.*, Reuter. *de Crim. læs. Maj. th. 3.* apud Arum. *Vol. 4. Disc. 40. p. 219.* Hæc de Majestate Vicariorum dicta sunto. Nunc ubi ad metam propositam pervenimus, *solennibus*, quas universa Germania pro Inter Regum incolumitate fundit, *precibus* nostra jungimus vota, Deum Summum imperii Statorem supplices venerati, interregnum Germaniæ tranquillum, pacatumque concedat: procul hinc abesse jubeat, quicquid turbet pacem & quietem nostram, ac in primis Potentissimum Regem nostrum, eundemque Pro Regem terrarum juris Saxonici servet incolumem, ac tueatur, ut Saxoniæ nostræ, & Sarmatiæ & Imperio sua quies constet & securitas. Faxit denique, ut finito feliciter interregno ex Electorum justa sententia Divo Josepho sufficiatur Rex Germaniæ, idemque Imperator Augustus ipso etiam (quæ summa votorum apud Quirites olim fuit,) Octavio felicior & melior Trajano. Quod reliquum est, si quid inopinantibus nobis forte exciderit, quod fastigio, culmini & Majestati Inter Regum Germaniæ non satis conveniat, id indictum esse volumus.

TANTUM.

ADDITAMENTA.

I.

JUs Vicariatus Saxonici alii Potentissimo Regi nostro, qua Archi-Marescallus est, alii tanquam Palatino Comiti, alii etiam tanquam Electori competere existimant; nos ei ut Duci Saxoniæ vi prisci illius & antiquissimi Ducatus decus hoc proprium esse, tuebimur.

II.

Hassia, licet nec circulis Saxonicis adscripta sit, nec jure Saxonico nunc forte utatur, Saxoniæ Ducatus tamen aliquando portio fuit, adeoque ad terras juris Saxonici & Vicariatum Saxonicum omnino pertinet.

III.

Falli videtur *Clariss.* GOTTERUS, qui *Diss. de Statu Saxon. tempore Augusti* §. 5. Augustum Electorem bis Vicariatu defunctum

esse commemorat; si quidem nec post obitum D. Ferdinandi, nec post fata D. Maximiliani interregnum fuit, cum illi jam antea Maximilianus, huic Rudolphus, Rex Romanorum fuerit suffectus.

IV.

Quos vice-dominos appellant Latii Cives, eos Germani dixerunt *Vitzthume*. Ita accipi videtur vox hæc in literis vicariatus D. Jo. Georg. I. *de an. 1612.* ubi, post verba: *Knechten, Haupt-Leuten*, additur *Vitzthumen*.

V.

Ex iisdem constat, non demum Joh. Georgium II. se Vicarium *am Enden in das Sächs. Vicariat gehörig*, dixisse, sed formulam eam antiquiorem longe esse; cui non dissimilis admodum est, quæ jam in literis Friderici Sapientis occurrit.

Sub-

Churfürst Joh. Georgen des I. Vicariats-Patent. den 13. Januarii 1612.	Churfürst Joh. Georgen des II. Vicariats-Patent. den 6. April. 1657.	Sr. Königl. Maj. in Pohlen und Churfl. Durchl. zu Sachsen/ rc. Vicariats-Patent. den 22. April. 1711.
Von GOttes Gnaden/ wir Johannes Georg/ Hertzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve und Berg/ des H. Römischen Reichs Ertz-Marschall/ Churfürst/ und desselben Reichs in den Landen des Sächs. Rechtens/ und am Enden/ in solchen Vicariat gehörende/ dieser Zeit Vicarius, Land-Graf zu Thüringen/ Marg-Graf zu Meissen/ Burg-Graf zu Magdeburg/ Graf zu der Marck und Ravensberg/ Herr zu Ravenstein/ Entbiethen allen und ieglichen Chur-Fürsten/ Fürsten/ Geistlichen und Weltlichen/ Prälaten/ Grafen/ Freyen/ Herren/ Rittern/ Knechten/ Haupt-Leuten/ Vitzthumen/ Amt-	Von GOttes Gnaden/ wir Johann Georg/ der Ander/ Hertzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve und Berg/ des Heil. Röm. Reichs Ertz-Marschall und Chur-Fürst/ auch desselben Reichs in den Landen des Sächsischen Rechtens/ und an Enden/ in solchen Vicariat gehörende/ dieser Zeit Vicarius, Land-Graf in Thüringen/ Marg-Graf zu Meissen/ auch Ober- und Nieder-Lausitz/ Burg-Graf zu Magdeburg/ Graf zu der Marck und Ravensberg/ Herr zum Ravenstein/ rc. Entbiethen allen und ieglichen Chur-Fürsten/ Fürsten/ Geistlichen und Weltlichen/ Prälaten/ Grafen/ Freyen/ Herren/	Wir Friedrich August/ von GOttes Gnaden/ König in Pohlen/ Groß-Hertzog in Litthauen/ rc. Hertzog zu Sachsen/ Jülich/ Cleve/ Berg/ Engern und Westphalen/ des H. Röm. Reichs Ertz-Marschall und Chur-Fürst/ auch desselben Reichs in denen Landen des Sächsischen Rechtens/ und an Enden in solch Vicariat gehörende/ dieser Zeit Vicarius, Land-Graf in Thüringen/ Marg-Graf zu Meissen/ auch Ober- und Nieder-Lausitz/ Burg-Graf zu Magdeburg/ Gefürsteter Graf zu Henneberg/ Graf zu der Marck/ Ravensberg und Barby/ Herr zu Ravenstein/ rc. Entbiethen allen und

Amt-Leuten/ Voigten/
Pflegern/ Verwesern/
Schultheissen/ Bür-
germeistern/ Richtern/
Räthen der Städte/
Bürgern/ Gemeinden/
und sonst allen andern/
was Würden/ Stands
und Wesens die seynd/
Unser freundliche
Dienst/ auch was Wir
Liebs und Guts ver-
mögen/ freundlichen
und günstigen Gruß/
Gnad und alles Guts
zuvor. Hochgebohrne/
Hochwürdige/ Wohl-
gebohrne/ Edle/ Wür-
dige/ Andächtige/ Ehr-
same und Weise/ liebe
Oheim/ Brüder/ Vet-
tern/ Schwäger/ Freun-
de/ Getreue und beson-
dere/ Euern L. und Euch
geben wir aus hochbe-
trübten Gemüth zuer-
kennen/ daß GOtt der
Allmächtige/ weiland
den Allerdurchlauch-
tigsten/ Großmächtig-
sten Fürsten und Herrn/
Herrn Rudolphen/
den Andern/ erwählten
Rö-

ren/ Rittern/ Knechten/
Haupt-Leuten/ Viz-
thumen/ Amt-Leuten/
Voigten/ Pflegern/
Verwesern/ Schult-
heissen/ Bürgermeistern/
Richtern/ Räthen der
Städte/ Bürgern/ Ge-
meinden/ und sonst al-
len andern/ wes Wür-
den/ Standes oder We-
sens die seynd/ Unsern
freundlich Dienst/
auch was wir Liebes
und Guts vermögen/
freundlichen und gün-
stigen Gruß/ Gnade
und alles Gutes zuvor.
Durchlauchtige/
Hochgebohrne/ Hoch-
Würdige/ Wohlge-
bohrne/ Edle/ würdige/
Andächtige/ Ehrsame
und Weise/ liebe/ O-
heim/ Brüder/ Vet-
tern/ Schwägere/
Freunde/ Besondere
und Getreue. Euren
Liebden und Euch ge-
ben wir aus hochbetrüb-
ten Gemüth zuerken-
nen/ daß GOtt der All-
mächtige weiland den
L Al-

und jeden Chur-Für-
sten/ Fürsten/ geist- und
weltlichen/ Prälaten/
Grafen/ Frey-Her-
ren/ Herren/ Rittern/
Knechten/ Haupt- und
Amt-Leuten/ Voigten/
Pflegern/ Schultzen/
Bürgermeistern/ Rich-
tern/ Räthen derer
Städte/ Bürgern/ Ge-
meinden/ und sonst al-
len andern/ wes Wür-
den/ Standes und We-
sens die sind/ Unsere
freund-Vetterliche
Dienste/ Freundschafft/
und was Wir Liebes
und Gutes vermögen/
freundlichen und gün-
stigen/ Gruß/ Gnade
und alles Gutes zu-
vor. Durchlauchtig-
ste/ Großmächtigste/
Hochwürdigste/
Durchl. Durchlauch-
tig-Hochgebohrne/
Hochwürdige/ Hoch-
gebohrne/ Hoch- und
Wohlgebohrne/ Wohl-
gebohrne/ Edle/ Wür-
dige/ Andächtige/ Ehr-
same und Weise/ beson-
ders

Römischen Käyser / zu allen Zeiten Mehrern des Reichs / in Germanien / zu Hungern / Boheim / Dalmatien / Croatien und Sclavonien / König / Ertz-Hertzog zu Oesterreich / Hertzogen zu Burgund / Steyer / Kärnden Crain und Würtemberg / Grafen zu Tyrol / rc. Unsern allergnädigsten Herrn / lobseeliger Gedächtniß / vor wenig Tagen durch ein seeliges Ende aus diesem Jammerthal zu sich in die ewige Freude gnädiglich abgefordert / dessen Seelen der barmhertzige GOTT gnädig seyn / und am grossen Tage des Herrn eine fröliche Aufferstehung zum ewigen Leben verleihen wolle.

Wann dann Uns / als Chur-Fürsten und Hertzogen zu Sachsen / nach Ausweisung der gül-Allerdurchlauchtigsten / Großmächtigsten Fürsten und Herrn / Herrn Ferdinand den Dritten / erwählten Römischen Käyser / zu allen Zeiten Mehrern des Reichs / in Germanien / zu Hungarn / Boheim / Dalmatien / Croatien und Sclavonien / rc. König / Ertz-Hertzogen zu Oesterreich / Hertzogen zu Burgund / Steyer / Kärnden / Crain und Würtemberg / Grafen zu Tyrol / rc. Unsern allergnädigsten Herrn / lobseeliger Gedächtniß / vor wenig Tagen durch ein seeliges Ende aus diesem Jammerthal zu sich in die ewige Freude gnädiglich abgefordert; dessen Seele der barmhertzige GOtt gnädig seyn / dem Leichnam aber eine sanffte Ruhe / und am grossen Tag des Herrn eine fröliche Aufferstehung zum ewigen Leben verleihen wolle.

ders freundlich-geliebte Brüder / Vettere / Oheime / Freunde / liebe besondere und getreue. Euern Majestäten / Euren Liebden und Euch geben Wir aus hochbetrübten Gemüthe zu vernehmen / welcher Gestalt dem allweisen GOtt / nach Seinen unerforschlichen Rathe gefallen / den weiland Durchlauchtigsten / Großmächtigsten Fürsten / Herrn Josephen / erwählten Römischen Käyser / zu allen Zeiten Mehrern des Reichs / in Germanien / zu Hungarn / Boheim / Dalmatien / Croatien / und Sclavonien / rc. König / Ertz-Hertzogen zu Oesterreich / rc. Unsern freundlich-geliebten Bruder / Vetter und Nachbar / lobseeligster Gedächtniß / am 17. dieses Monats / zwischen 10. und 11. Uhren vormittags / durch ein seeliges Ende aus die-

gülden Bull / Käyserlichen Belehnung / und uhralten Herbringen Unser hochgeehrten Vorfahren / dieser Zeit / da das Reich mit keinem Haupt versehen / die Verwaltung und Versehung desselbigen Reichs an Enden des Sächsischen Rechtens / und in unser Vicariat gehörenden Provincien / zustehet: So haben wir uns / aus angebohrner Lieb und schuldigen Gehorsam gegen das H. Reich / Teutscher Nation, Unser geliebtes Vaterland / demselben zum Trost und Gutem / mit solchem / zwar müheseeligen Amt / beladen wollen. Damit nun guter Fried und Ruhe in Unserm geliebten Vaterland Teutscher Nation erhalten / auch allerhand Unruhe und Empörung verhütet bleiben: So ist von wegen Unsers Amts / Un-

Wann dann Uns / als Chur-Fürsten und Hertzogen zu Sachsen / nach Ausweisung der güldenen Bull / und uhralten Herbringens Unserer Hochgeehrten Vorfahren / dieser Zeit / do das Reich mit keinem Haupt versehen / die Verwaltung und Versehung desselben Reichs an Enden des Sächsischen Rechtens / und in Unser Vicariat gehörende Provincien / zustehet: So haben Wir Uns / aus angebohrner Lieb und schuldigem Gehorsam gegen das heilige Reich / Teutscher Nation, Unser geliebtes Vaterland / demselben zu Trost und Gutem / mit solchem / zwar müheseeligen Amt / beladen wollen. Damit nun guter Fried und Ruhe in Unserm geliebten Vaterland Teutscher Nation erhalten / auch allerhand Unruhe und Empörung verhü-

diesem zergänglichen Leben zu sich in die himmlische Glorie aufzunehmen; Dessen Seele der barmhertzige GOTT gnädig seyn / dem Leichnam aber eine sanffte Ruhe / und am grossen Tage des HErrn eine fröliche Aufferstehung zum ewigen Leben verleihen wolle.

Allermassen Uns nun / als Chur-Fürsten und Hertzogen zu Sachsen / vermöge der güldenen Bulle / uhralten Herkommens / und Käyserlicher Beleihung / zu dieser Zeit / da das H. Reich mit keinem Haupte versehen / die Verwaltung und Provision desselben Reichs / an Enden des Sächs. Rechtens / und in Unser Vicariat gehörenden Provintzien / angefallen und zustehet: So haben Wir Uns / aus angestammter Liebe und patriotischer Anneigung gegen das Heil. Reich / Teut-

Unser Begehren / Unserthalben Unser freundlich Bitt / günstiges und gnädiges Gesinnen / Euer Liebden und Ihr wollet bey Euerer Geistligkeit verfügen und verschaffen / auch vor Euch selbst / GOtt den Allmächtigen andächtiglich anruffen und bitten / das Heilige Römische Reich gnädiglich mit einem Haupt / Ihme gefällig / und Uns allen tröstlichen / förderlichst zuversehen / auch dem Heil. Röm. Reich und Teutscher Nation zu Ehren und Wohlfarth / euch selbst zu gut / und Uns zu gefallen / in Zeit solcher Unser Verwaltung und Vicariat-Amts / Euer jeder gegen dem andern sich friedlich halten / und in guter nachbarlicher Einigkeit seyn und bleiben / Unwillen / Gezänck / Aufruhr / [illegible] oder Zugriffen [illegible] be-

hütet bleibe: So ist von wegen Unsers Amts / Unser Begehren / Unserthalben Unser freundliche Bitt / günstiges und gnädiges Gesinnen / Euere Liebden und Ihr wollet bey Eurer Geistligkeit verfügen und verschaffen / auch vor Euch selbst / GOtt den Allmächtigen andächtiglich anruffen und bitten / das Heil. Röm. Reich gnädigl. mit einem Haupt / Ihme gefällig / und Uns allen tröstlichen / förderlichst zuversehen / auch dem Heil. Röm. Reich und Teutscher Nation zu Ehren und Wohlfarth / Euch selbst zu gut / und Uns zu gefallen / in Zeit solcher Unserer Verwaltung und Vicariat-Amts / Euer jeden gegen dem andern sich friedlich halten / und in guter nachbarlicher Einigkeit seyn und bleiben / [illegible] oder [illegible] Zu-

Teutscher Nation, Unser geliebtes Vaterland / demselben / und dessen Ständen zum Trost / Ehr und Nutzen / mit solchem / zwar mühseeligen Amte / beladen wollen. Je gefährlicher nun die Zeiten / bey dem fortwährenden Reichs-Kriege / und andern besorglichen Conjuncturen / sich ereignen / je nöthiger ist es / daß ein gutes Vernehmen / und der innerliche Friede und Ruhestand erhalten und befestiget / folglich auch allerhand Unruhe und Empörungen verhütet / und dasjenige / was sonderlich der Neutralität wegen bey der Reichs-Versammlung zu Regenspurg / in dem nächst-verwichenen Jahre zum Schlusse gekommen / fest gestellet und zur Execution gesetzet werden / [illegible] von wegen Unsers Amts [illegible] Un-

bewegen/ sondern ob jemands irrige Sachen/ Gebrechen oder Mängel gegen dem andern hätte/ oder gewinne/ dardurch Aufruhr und Empörung entstehen möchten/ das GOtt der Allmächtige gnädiglichen verhüten wolle/ dißmahl einstellen/ und auffziehen/ oder/ wo der Verzug beschwerlichen/ die an Uns gelangen/ und zur Verhör und Handlung kommen lassen/ darauff Wir freundliches und gnädiges Einsehen thun wollen/ daß solche Irrungen mit GOttes Hülff entweder in Güte beygelegt/ oder/ wo es die Nothdurfft erfordern würde/ mit Euer L. Euch und andern des Heil. Röm. Reichs Ständen Rath und Hülff/ alle Thätigkeit möglichs Fleisses abgewendet werden mögen.

Eu-

Zugriffen mit nichte bewegen/ sondern ob jemands irrige Sachen/ Gebrechen oder Mängel gegen dem andern hätte/ oder gewinne/ dadurch Aufruhr und Empörung entstehen möchten/ das GOtt der Allmächtige gnädiglichen verhüten wolle/ dißmahl einstellen und aufziehen/ oder/ wo der Verzug beschwerlichen/ die an Uns gelangen/ und zur Verhör und Handlung kommen lassen/ darauff Wir freundliches und gnädiges Einsehen thun wollen/ daß solche Irrungen mit GOttes Hülffe entweder in Güte beygeleget/ oder/ wo es die Nothdurfft erfordern würde/ mit Eurer Liebden/ Euren/ und anderer des H. Röm. Reichs Stände Rath und Hülff/ alle Thätigkeit möglichen Fleisses abgewendet werden möge.

Eue-

Unser Begehren/ Unserthalben aber Unser freundliches Ersuchen/ günstiges und gnädiges Gesinnen/ Ew. Maj. Maj. Eurer Liebd./ und Ihr wollet bey Ihrer und Eurer Geistligkeit verfügen/ auch vor Sie und Euch selbst/ GOtt den Allmächtigen andächtiglich anruffen/ das H. Röm. Reich gnädiglich mit einem Haupte/ Ihme gefällig/ und Uns allen tröstlich/ förderlichst zuversehen. Sie und Ihr wollet auch dem H. Röm. Reiche und Teutscher Nation zu Ehren und Wohlfarth/ Ihnen und Euch selbst zu gute/ und Uns zu Gefallen/ in Zeit solcher Unserer Reichs-Verwesung/ Ihr und Eurer jeder gegen den andern sich friedlich halten/ und in guter nachbarlicher Einigkeit bleiben/ zu Gezäncke und Gewaltthaten sich nicht bewegen/ sondern/

ob

Euer L. und Ihr wollen Sich auch/ dem H. Reich zu gutem/ einheimisch/ und in guter Verwahrung dermassen halten/ wo im Reich sich Sachen begäben/ daß einer den andern gewaltiger Weiß belästigen/ und bey Billigkeit nicht bleiben lassen wollt/ oder/ wo sich jemands unterstehen würde/ in ordentlicher Wahl eines Römischen Königs/ was Widerwärtiges einzuführen/ oder Verhinderung zuthun/ da GOtt vor sey/ daß Euer L. und Ihr/ dann neben den andern Ständen des Reichs/ Fried und Recht zuerhalten/ und Uns alle für Gewalt und Beschwerung zuschützen/ Rath/ Hülff und Beystand thuet/ biß aus Verleihung GOttes des Allmächtigen und obersten Regierers das Reich wieder mit einem Haupt versehen werde/ und Euch in dem

do me

Euere Liebden/ und Ihr wollen sich auch/ dem H. Reich zu gutem/ einheymisch/ und in guter Verwahrung dermassen halten/ wo im Reich sich Sachen begeben/ daß einer den andern gewaltiger Weise belästigen/ und bey Billigkeit nicht bleiben lassen wollte/ oder/ wo sich jemands unterstehen würde/ in ordentlicher Wahl eines Röm. Königs/ was Widerwärtiges einzuführen/ oder Verhinderung zuthun/ da GOtt vor sey/ daß Euere Liebden und Ihr/ dann neben den andern Ständen des Reichs/ Fried und Recht zuerhalten/ und Uns alle vor Gewalt und Beschwerung zuschützen/ Rath/ Hülff und Beystand thut/ biß aus Verleihung GOttes des Allmächtigen und obristen Regierers/ das Reich wieder mit einem Haupt versehen werde/ und

 Euch

ob jemands irrige Sachen und Gebrechen gegen den andern hätte/ oder gewinne/ daraus Aufruhr und Weiterung entstehen möchte/ solche einstellen/ oder/ wo der Verzug beschwerlich/ die an Uns gelangen/ und zur Verhör und Handlung kommen lassen/ darauf Wir freundliches und gnädiges Einsehen thun wollen/ daß solche Irrungen mit GOttes Hülffe entweder in Güte beygeleget/ oder nothdürfftig mit Eur. Maj. Maj. Liebd./ Euer und anderer des Heiligen Reichs Stände Rath und Hülffe/ alle Thätlichkeiten möglichstes Fleisses abgewendet werden möchten.

Eur. Maj. Maj. L. L. und Ihr wollen sich auch/ dem Heil. Reiche zum besten/ einheimisch und in guter Verhaltung dermassen halten/ wo im Reiche sich Sa-

chen

me allen freundlich und gutwillig erzeigen; In Ansehung was der gantzen Christenheit / dem H. Reich Teutscher Nation, und Uns allen daran gelegen / darum Unser besonders Vertrauen zu Euer L. und auch andern stehet / E. L. und Ihr für sich selbst / ohn einig Unser Erinnern / darzu geneigt und willig seyn werden. Das wollen Wir um Eur. L. / und Euch samt und sonders / freundlichen verdienen / günstig beschuldigen / und gnädiglich erkennen. Datum Dreßden / unter Unserm aufgedruckten Secret, am Montag nach Trium Regum, den 13. Januarii anno 1612.

Euch in deme allen freundlich und gutwillig halten / und erzeigen; In Ansehung / was der gantzen Christenheit / dem Heil. Reiche Teutscher Nation, und Uns allen doran gelegen / darum Unser besonders Vertrauen zu Euren L. und Euch andern stehet / E. L. und Ihr vor sich selbst / ohne einig Unser Erinnern darzu geneigt und willig seyn werden. Das wollen Wir um Eure L. / und Euch samt und sonders freundlichen verdienen / günstig verschulden und gnädiglich erkennen. Datum Dreßden / unter Unserm aufgedruckten Chur-Secret, den 6. April. an. 1657.

chen begäben / daß ein Stand den andern gewaltthätiger Weise belästigen / und bey Billigkeit nicht bleiben lassen wollte / oder / wo sich jemand unterstehen würde / in ordentlicher Wahl eines Röm. Königs / was Widerwärtiges einzuführen / oder Verhinderung zuthun / da GOtt vor sey / daß Eur. Maj. Maj. Liebden / und Ihr dann / neben andern Mit-Ständen des Reichs / Friede und Recht zuerhalten / und Uns alle vor Gewalt und Beschwerung zuschützen / über die zu dem Reichs-Contingent gehörige Hülffe / noch eine mehrere Macht / nach jedes seiner Lande und Oerter Vermögen / bereit zu schaffen / und solche Hülffe und Beystand innerlich / damit der gegen den gemeinen Reichs-Feind habenden Kriegs-Verfassung nichts abgehe / zugebrauchen / sich angelegen seyn lassen / biß durch Verleihung Gottes des Allmächtigen und obristen Regierers / das Reich wieder mit einem Haupte versehen werde. In deme allen wollten Eur. Maj. Maj. Liebden / und Ihr / Euch freundlich und gutwillig halten / weil der gemeinen Christenheit / und sonderlich dem H. Reiche und gantzen Europäischen gemeinen Wohlfarth / auch Uns allen höchlichst daran gelegen; Darum auch Unser besonderes Vertrauen darinne stehet / Eur. Maj. Maj. / L. und Ihr / werden vor sich selbst / ohne einig Unser Erinnern / darzu geneigt und willig seyn. Das wollen Wir um E. Maj. Maj. / L. und Euch samt und sonders / freundlich erwiedern / verdienen / günstig verschulden / und gnädiglich erkennen. Geben zu Dreßden / unter Unserm Königlichen und Chur-Secret den 22. Apr. an. Christi 1711.

* (o) *